


R. 3647  
FRANCISCI TORRENSIS  
DE SUMMI PONTIFICIS

*supra Concilia auctoritate ad Reuerendiss. Do-*  
*minum IOANNEM SALVIATVM*  
*Episcopum Cardinalem, Libri tres.*

*Eiusdem de Residencia pastorum iure diuino scripto sancita*  
*ad eundem liber.*

*Eiusdem de actis veris Sextae Synodi, deque canonibus, qui*  
*eiusdem Sextae Synodi falso esse feruntur, & de*  
*Septima Synodo atque multiplici Oeliqua*  
*ad eundem liber.*

A  
400  
200



FLORENTIAE.  
El collar de la orden de Granada  
de Granada

*Collectio de la comp. de Jesus de Granada*

R. 3647

**FRANCISCI TORRENSIS  
DE SVMMI PONTIFICIS**

*Supra Concilia auctoritate ad Reuerendiss. Do-  
minum IOANNEM SALVIATVM  
Episcopum Cardinalem, Libri tres.*

*Eiusdem de Residentia pastorum iure diuino scripto sancita  
ad eundem liber.*

*Eiusdem de actis veris Sextae Synodi, deque canonibus, qui  
eiusdem Sextae Synodi falso esse feruntur, & de  
Septima Synodo atque multiplici Octava  
ad eundem liber.*


A  
4  
328  
Estimé.  
Numero.




A  
5  
246

*1520. p. ff* FLORENTIAE.

*el coll. de la comp. de Jesus de Granada*





VM nulla ferè disputatio his  
 præsertim temporibus cre-  
 brior esse solet, neque qua  
 importunius tractetur, vel  
 audacius suscipiatur, quàm  
 de Pontificis, & cōciliorum  
 auctoritate, ac officio, non  
 potui cauere, quin ipse ali-  
 quādo, etiam nolens in eam  
 incidere, sæpe etiam rogatum, vt de eo aliquid scri-  
 berem, duo sunt, quæ me maxime ab eo opere dehor-  
 tabantur: Alterum, quod ferè omnes, qui de eo con-  
 trā disputare solent, pertinacius sententiam suam de-  
 fendunt, quàm vt de ea vllō rationum, aut auctōrita-  
 tum pondere deiici posse videantur: alterum, quod vi-  
 debam tam multos tam doctè, & copiosè de eo scripsis-  
 se, vt nescirem, vtrum esset difficilius, de eodem scri-  
 bentem non eadem repetere, quod magnopere studui,  
 an eadem melius, ac limatius dicere, in quo etiam non  
 mediocriter laboravi. Verum illam difficultatem chari-  
 tas vicit, quæ omnia sperat. Hæc verò vtrum vicerim,  
 eorum erit iudicium, qui nostra hæc legerint, & tuum  
 cum primis SALVIATE, ad quem hos libros medio-  
 cri diligentia scripsimus, cui totum hoc argumentum  
 non parum conuenit, in quo vna cum collegis tuis pon-  
 tificale ostium cœlestisque ianua tanquam in cardine  
 vertitur, vnde dictos esse Cardinales præclare scri-  
 psit sapientissimus Pontifex Leo nonus. Hoc for-  
 tasse videbor assecutus, vt quæ spinosa quadam sub-  
 tilitate inconditè, & prolixè ab infinitis aliis tractata  
 sunt, ea à nobis tribus paruis libris plane ac distinctè  
 comprehensa esse videantur, quorum primo explicabo  
 scripturæ sanctæ loca vtilissima illa quidem tum ad do-  
 cendum, maiorem esse auctoritatem Pontificis quàm  
 conciliorum omnium, ostendendumque in ea re lucem

veritatis, tum ad coarguendum errorem contra sen-  
 tentium, reducendumque errantes in viam rectam re-  
 ctè sentiendi, & bene, ac religiose viuendi. Has enim  
 utilitates tribuit Apostolus scripturæ sanctæ: Omnis  
 (inquit) scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad do-  
 cendum ad arguendum, ad corrigendum, & ad eruden-  
 dum in iustitia. Et Salomon, quem tum sæpe aliàs, tum  
 hinc imitatus est Paulus, in Prouerbiis inquit, Lucerna  
 mandatum legis, & lumen, & via vitæ, & reprehensio,  
 & doctrina. Feci autem hoc aliquanto copiosius ex-  
 planationibus altius repetitis, vt omni specie erroris  
 ab imo reiecta, atque à fundo excussa, facilius ipsa per  
 se iam veritas ostenderetur. Secundo libro Decreta san-  
 ctarum Synodorum, sanctorumque patrum testimo-  
 nia mirifice cum scriptura sancta congruentia recita-  
 bo. Tertio libro eodemque extremo respondebo con-  
 uenienter scripturis sanctis, ad rationes aduersus nos  
 sententium, eas præsertim, quibus se illi magis iactant,  
 quæque validiores esse videbantur, et si falsa specie pro-  
 bilitatis extrinsecus velata, ac vestita, & quibus di-  
 luendis plus utilitatis, ac doctrinæ afferri poterat. vt  
 Præceptum est (inquiunt) Petro his verbis, Si pecca-  
 uerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum so-  
 lum. Ac paulo post, Si eos, testes inquam adhibitos nõ  
 audierit, dic ecclesiæ, tanquam ea esset futura iudex.  
 Ac proinde maiore auctoritate, Si autem ecclesiam nõ  
 audierit, tanquam summa auctoritate præditam, sit ti-  
 bi sicut ethnicus, & publicanus. Et apostoli, in quibus  
 erat Petrus eorum princeps, cum senioribus in eo de-  
 creto, quod ad fratres ex gentibus miserunt, non in-  
 quiunt, Visum est spiritui sancto, & Petro principi no-  
 stro, sed, visum est spiritui sancto, & nobis, id est eccle-  
 siæ, tanquam ea præstaret authoritate. Deinde Apосто-  
 li, qui ecclesiam repræsentabant, cum audissent (in-  
 quit) quod recepisset Samaria verbum, miserunt ad

eos Petrum, & Ioannem, quasi vtrumque ex æquo mi-  
 nistrum ecclesiæ. Præterea quemadmodum non sit in-  
 fra ecclesiam Pontifex, cum possit fieri hæreticus, non  
 autem statim vt est hæreticus, vitandus sit, sed sicut  
 scriptum est. Hæreticum hominem post vnam, & secun-  
 dam correptionem deuita, vt verò vitetur, necesse sit  
 priuare eum pontificatu, quod vocant deponere, at id  
 perfici nõ possit, nisi cum pontifice, velut cum reo aga-  
 tur ex lege, ex quo rursus sequatur esse eum infra au-  
 ctoritatem ecclesiæ catholicæ? Deinde, soli ne pontifi-  
 ci liceat impune in terris flagitiosè, & scelerate viuere?  
 Nullus ne erit, qui corrigat? Sola ecclesiastica Respub.  
 peius erit instituta, quàm ciuilis? Præterea Synodus  
 Constantinopolitana, ac Calcedonensis nõne suis de-  
 cretis sedi apostolicæ, id est, pontifici priuilegia tribue-  
 runt, imo cum ea fere sedem Constantinopolitanam  
 æquarunt? Et Cõstantiense, ac Basileense sancta etiam,  
 & generalia concilia an non clarissime sanxerunt conci-  
 lium esse supra Papam? Et quid? Nonne vel ipse ponti-  
 fex plus auctoritatis tribuit ecclesiæ, quàm sibi, cum  
 ait scribens ad Theophilum, & Anyfium, sicut est in  
 decimo libro epistolarum Ambrosii, Cum huiusmodi  
 fuerit conciliu Capuensis initium, vt finitimi Bonosõ,  
 atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, & præ-  
 cipue Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi  
 de eius factis cognoscerent, aduertimus, quod nobis iu-  
 dicandi forma non competeret. Nam si integra foret  
 Synodus hodie, rectè de iis, quæ comprehendit vestro-  
 rum dictorum series, decerneremus. Vestrum est igi-  
 tur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de  
 omnibus. Et Augustinus in epistola ad Glorium &  
 Eleusium, & Felicem grammaticum Donatistas: Ecce  
 (inquit) putemus illos episcopos, qui Romæ iudica-  
 runt, non bonos iudices fuisse (numerarat autem in  
 illis Melchiadem pontificem) restabat adhuc plenariũ



† ecclesiæ vniuersalis iudicium, vbi etiam cum ipsi iudi-  
 † cibus posset agitari causa, vt si male iudicasse conuicti  
 † essent, eorum sententiæ soluerentur. Et quod idē Au-  
 † gustinus non vno in loco affirmat, Petrum in persona  
 † ecclesiæ potestatem accepisse clauium. Deinde quemad-  
 † modum pontifex, cum errare possit, supra ecclesiam  
 † sit, quæ nõ possit? Aut quemadmodum qui potest esse  
 † omni genere criminum obligatus, neque iudicari, ne-  
 † que puniri possit ab ecclesia sancta, & immaculata, co-  
 † lumna, & firmamento veritatis? Quomodo sanctam  
 † ecclesiam, catholicam credimus, ac confitemur, de pon-  
 † tifice verò tacetur in Symbolo? Adhæc cum teneatur  
 † pontifex parère decretis ecclesiæ, quemadmodum non  
 † sit subiectus illi, ac proinde infra illam? An nõ hoc Zo-  
 † simus Papa sensit, cum ait: Cõtra statuta patrum ne hu-  
 † ius quidem sedis valet auctoritas? Postremo Grego-  
 † rius de quatuor conciliis, quæ vniuersali (inquit) con-  
 † sensu statuta sunt, se, non illa destruit, quisquis præsu-  
 † mit absoluerè, quos ligant, aut ligare, quos absoluunt.  
 Huiusmodi argumentis, & rationibus, non secundum  
 spiritum, sed secundum literam, id est, non secundum sen-  
 sum perfectum, & latentem, sed secundum imperfectum,  
 & extrinsecus apparentem compositis, ceu quibusdam  
 machinis, & telis instructi, & armati sunt aduersarii:  
 at arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad  
 destructionem munitionum, consilia destruentes, &  
 omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam  
 Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum  
 in obsequium CHRISTI, id est, non sunt nostræ ra-  
 tiones humano ingenio adinuentæ, neque ex elemen-  
 tis mundi, aut philosophia, aut traditione hominum  
 per inanem fallaciam, sed ex fide, ac reuelatione sancta-  
 rum scripturarum ductæ ad refellendas, ac coarguendas  
 falsas eorum rationes, qui se aduersus pontificem effe-  
 runt, quod est intellectum eorum in captiuitatem redi-

gere, si tamen reuelatis credere voluerint. Vt enim in-  
 de incipiam, sicut reuelatum est Petro mysterium ma-  
 gnum in CHRISTO, vt diceret. Tu es filius Dei vi-  
 ui, quia dixerat Pater cœlestis missa de cœlo voce. Hic  
 est filius meus dilectus, &cet. Sic nobis reuelatum est  
 mysterium magnū in ecclesia catholica per CHRISTI  
 filii eius vocem, per apostolorum, qui eam audierunt,  
 & testes fuerunt, prædicationem, per scripturam de-  
 nique ad nostram eruditionem, confirmationem, &  
 consolationem relictam, in qua clarissima voce pronun-  
 ciatum est: Super hanc petram ædificabo ecclesiam  
 meam. Et sicut audierant alii de illa cœlesti voce. Hic  
 est filius meus, solum tamen Petrum beatum prædica-  
 uit, quod ei pater reuelasset magnificam illam cõfessio-  
 nem. Sic etiam multi hoc legunt in Euangelio, ædifica-  
 tam esse ecclesiam super hanc petram. Multi hoc au-  
 diunt in ecclesia prædicari, quibus tamen non reuela-  
 tur hoc mysterium, quin potius (vt scriptum est ab  
 Esaiâ propheta) aure audient, & nõ intelligent, quia  
 scilicet non vident, quid audiant, neque audiunt, quæ  
 dicantur. Cum audiunt illa: Super hanc petram ædifica-  
 bo ecclesiam meam, &: Pascè oues meas, &: Tu conuer-  
 sus firma fratres tuos; & illud Apostoli: mysterium  
 hoc magnum est in CHRISTO, & in ecclesia. Idcirco  
 nõ dat eis Dominus intellectum, imò variis erroribus  
 implicantur. Sic enim Dominus apud Marcum, cum pa-  
 rabolas loqueretur, discipulos monuit: Videte (in-  
 quit) quid audiatis. Deinde subiunxit sincere atten-  
 tionis & studii sciendi fructum. In qua (inquit) men-  
 sura mensi fueritis, remetietur vobis, & adiucietur vo-  
 bis. Qui enim habet, dabitur ei, & qui non habet, id  
 etiam, quod habet, auferetur ab eo. Similiter Paulus  
 Dominum imitatus scribens ad Timotheum, & eun-  
 dem hortans ad officium boni discipuli, ac boni alio-  
 rum magistri, cum parabolam athletæ, & militis, dein-

» de agricolæ posuisset, subiunxit, Aduerte, quæ dico.  
 » Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.  
 Laudauerat autem in eo paulo ante fidem non fictam,  
 » scilicet, Dat Dominus intellectum myſteriorum, om-  
 » nisque veritatis iis, qui eū ſic quærunť, vt de Domi-  
 » no ſentire, & vt cum quærere Salomon in Sapientia  
 » præcepit, nempe in bonitate, & ſimplicitate cordis,  
 » quod deinde explanans idem. Quoniam inuenitur (in-  
 » quit) ab illis, qui non tentant illum, id eſt, ab iis, qui  
 » non cōſiſi ſibi, ſuiſque ingeniis, atque cogitationibus,  
 » ſeipſos ſapientes exiſtimant, quod eſt Deum tentare.  
 » Deinde ſequitur: Apparet autem iis, qui fidem habent  
 » in illum. Hoc enim eſt quære in ſimplicitate, id eſt,  
 » fidenter, ſicut eſt in Prouerbiis, Qui ambulat ſimplici-  
 » ter, ambulat confidenter. Non enim Deus falli poteſt,  
 » aut fallere item. Simplicitas pendet ex obedientia, &  
 » obedientia ex fide, vt tradit. B. Macarius loquens de cō-  
 » nexione virtutum. Qui autem neque aliud, neque ali-  
 » ter ſentiendum eſſe arbitratur, quàm quod ipſi, & vt  
 » ipſi videtur, hic dolose agit, in hoc fides ficta eſt, id eſt,  
 » hic non quærit in bonitate, atque ſimplicitate Domi-  
 » num. Hic neque videt, quid audiat à Domino, neque  
 » aduertit, quid ab eo dicatur. Quare huic nō dabit Do-  
 » minus intellectum. Huius animam appellat Salomon  
 » in eodem loco κακότεχνον, id eſt, falſa arte, & via non  
 » recta Deum quærentem, in quam idcirco ſapientia (vt  
 » idem ait) non introibit. Huiusmodi ſunt, qui de qua  
 » nunc loquimur re, non quærunť videre, quid in ſcriptu-  
 » ris audiant, ſed potius ſe, ſuaſque rationes, & opinio-  
 » nes hominum domi præiudicatas audiūt, neque aduer-  
 » tere, quid ab eccleſia dicatur, & quid à ſanctis patri-  
 » bus, ſed potius quærunť, quid Ocham, quid Marſilius  
 » Patavinus, quid Baſileenſes, quid Gerſon, Abulenſis,  
 » Cuſanus prophetarint, vel potius ſomniarint. Hæc  
 » ideo à me tam multis verbis dicta ſunt, vt intelligant  
 » iſti

iſti tandem erroris ſui originem, & in viam recte in-  
 » telligendi, quam eis demonſtramus, redeant aliquan-  
 » do, ſi placet. Videamus ergo primum quid audiamus,  
 » & aduertamus quid dicatur, cum audimus quod a Do-  
 » mino dictum eſt Petro, de cuius perpetuo pontificatu  
 » nunc agitur: Et ego (inquit) dico tibi, quia tu es Pe-  
 » trus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.  
 » Quem locum euangelii, ſi recte intelligerent, nun-  
 » quam profecto de auctoritate pontificis ſupra eccleſiã  
 » catholicam dubitarent, qui, vt imperiti architecti, ne-  
 » que ipſi ſciunt, quæ fundamenti, ac reliqui ædificii ra-  
 » tio ſit, neque ab eccleſiæ doctoribus architectis pru-  
 » dentibus quærunť. Ergo fuit eccleſia ante mundi con-  
 » ſtitutionem à Deo dilecta & electa ſuo alioqui tempo-  
 » re, mundo ſcilicet creato, gignēda, ædificanda, & plan-  
 » tanda. Neque enim fuit nouum conſilium, ſed anti-  
 » quum, & verum, vt Eſaias prophetauit, quod ipſum Eſa. 25.  
 » ſcriptura toties teſtatur, & repetit aduerſus eos, qui  
 » œconomiam CHRISTI & Euangelii nouum inuen-  
 » tum eſſe putabant: Venite. n. (inquit) poſſidete regnū,  
 » quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi &c. Et  
 » Apoſtolus, ſicut elegit nos ante conſtitutionem mun-  
 » di. Et illud myſterium abſconditum à ſæculis, & gene-  
 » rationibus, nunc autem manifeſtatum, & alia huius-  
 » modi. Huius ergo eccleſiæ ante conſtitutionem mun-  
 » di electæ, & ab initio mundi inſtitutæ, ſiue eam do-  
 » mum faciamus, ſiue vineam, ſiue corpus iuxta ſcriptu-  
 » ræ tropoſ, ipſe Deus eſt ædificator eius, ac fundamen-  
 » tum, incrementum præſtans ædificationi, ipſe eſt agri-  
 » cola purgans, ipſe caput augmentum faciens in ædifi-  
 » cationem ſui in charitate, qui quidem, non quia ſolus  
 » non poſſet tantæ molitioni, & ædificationi ſufficere,  
 » in quo ſolo ſummo lapide angulari omnis ædificatio  
 » conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino,  
 » ſed infirmitati hominū conſulens, ab ipſo ſtatim eccle-  
 » B

fiæ ortu adiutores ædificationis adhibuit sanctos Prophetas Adam, Enoch, Noë, Abraam, Iacob, Moïsen, David, Esaiam, & cæteros omnes, qui homines hominibus simili infirmitate carnis circumdati, facti sunt ad maiorem Dei notitiam capiendam, velut totius mûdi magistri schola, & gymnasium (vt magnus Athanasius ait.) Hi enim spiritu sancto inspirati, & secundum prophetiæ gratiam locuti, fidem creationis mundi præteritæ, ecclesiæ catholicæ tradiderunt. Nam quemadmodum fide intelligeremus, aptata esse secula verbo Dei, & ex inuisibilibus visibilia facta, nisi audissemus? Fides enim ex auditu. Aut quomodo audissemus nisi per veros Prophetas? Falsi enim neque præterita illa, neque futura scire poterant. Sicuti Propheta Esaias de falsis prophetis ait: appropinquent, & enarrant vobis ventura, aut priora. Et alias. Quis nunciabit hæc, aut quæ à principio? Hi præterea aduentum CHRISTI, qui erat expectatio omnium gentium, ac nouæ legis mysteria prædixerunt, ac præsignificauerunt vt scilicet fides in mysteriis legalibus mundationum, oblationum, & sacrificiorum mystice clausa, & in prædictionibus prophetarum contenta suo tempore reuelanda, facilius reciperetur, & non tunc primum decreta nouo consilio, sed longe ante, ab initio scilicet, & ante secula definita intelligeretur, contra eos, vt dixi, qui Euangelium nouum inuentum esse putabant, de quibus. B. Ignatius in epistola ad Philadelph. Audiui (inquit) quosdam dicentes Euangelio non credam, nisi reperiam in antiquis. Hi quoque prophetæ futura prædicebant, siue mala, siue bona, illa quidem, vt præcauerent homines, aut si nolent, vt non fortuito euenire putarent, sed ipsos fuisse auctores, qui non præcauissent, Hæc verò id est bona, vt homines bonæ spe recreati patienter aduersa tolerarent, & cum venirent bona ipsa, Deo accepta grato animo ferrent,

Esa. 41.  
Ibid. 43

atque ita vtroque genere prædictionis bonorum, & malorum in fide prouidentia diuinæ confirmarentur. Hoc itaque est superædificatos nos esse, id est, ecclesiam catholicam super fundamentum prophetarum. Non solum enim ad ædificationem Iudæorum, tamen si eorum in primis, & proprie, sed ad vtilitatem quoque gentilium dati sunt, sicut ipsa electio populi, & lex Moïsis, & miracula licet Iudæorum propria, ad gentilium quoque ædificationem pertinebant. Ita enim interpretandum est, Quod ait Deus de Hieremia, „ Prophetam in gentes posui te. Quod enim David inquit, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, significat non esse gentilibus datam tantam Dei notitiam, ac sapientiam, quod declarat Baruch, Non elegit (inquit) gigantes, neque viam sapientiæ dedit illis. Et paulò post: Ipse inuenit viam scientiæ, eam Iacob, & Israeli dilecto dedit. Beati sumus Israel, quia nota sunt Dei placita. Significat præterea non esse collata tot ac tanta beneficia omni miraculo plena in aliam gentem, quanta in populum Dei. Quod quidem David in libro Regum secundo declarauit, Quæ est (inquit) vt populus tuus Israel, gens in terra, quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram à facie populi, quem redemisti ex Aegypto? &c. Et in Deut. Scriptum similiter est: interroga de diebus antiquis ex die, quo creauit Dominus hominem super terram à summo cælo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiusmodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vidisti, Et quæ sequuntur de admirabili illo exitu ex Aegypto, & ingressu in terram promissionis tot prodigiis, & miraculis editis. Hac itaque ratione, & modo ecclesia catholica ædificata est super fundamentum

prophetarum, per quos ipsa primum accepit ex auditu firmamentum fidei, per quam (vt Apostolus ait) radicati, & superædificati sumus in CHRISTO, sicut dicimus, scilicet ex Prophetis, & Apostolis, de quibus statim dicam. Cum vero Prophetas dico, legem quoque intelligo per Moysen excellentissimum prophetam datam. Ad ædificationem ergo huius ecclesiæ catholicæ, quæ prius fuit in paucis sanctis, deinde in cuncta Iudæa, postea vero in cuncto orbe vsque ad extremum terræ, facta iam tunc, sicut est in canticis, tanquam luna perfecta, lumen vbique, & ex omni parte mundi à CHRISTO vero Sole accipiens, ex quo scilicet venit plenitudo temporis, vt mitteret Deus filiū suum factum ex muliere, sicut ante mundi constitutionem decreuerat, Tunc inquam, ad ædificationem huius ecclesiæ catholicæ accessit etiam fundamentum Apostolorum, quos Deus totius alioqui orbis magistros futuros, & fidei reuelatæ prædicatores in ædificationem corporis CHRISTI elegit ex eodem populo Hebræo, cui ipse primum promissus, natus, & datus fuerat, ex quo prophetas velut totius etiam orbis magistros, & fidei reuelandæ prænuncios ante elegerat, vt scilicet vna, eademque fides, vna item, eademque ecclesia (sicut scriptum est) à gloria in gloriam eadem facie trāsformata, atque idem vtriusque legis auctor esse intelligeretur. Iussit autē eidem populo prius Apostolos prædicare, tum quia cōueniens erat nature rationi, & mysterio œconomix, vt propinquieribus, & Lege Moysis, tanquam à Pædagogō instructis, & umbra, ac typis Euangelii (vt ita dicam) catechizatis, Euangelium ipsum prius denunciaretur, tum vt intelligerent homines, ideo Euangelium CHRISTI prius Hebræo populo prædicari, quia ex eo CHRISTVS natus esset, ex quo rursus intelligerent homines, ideo etiam tantam populi illius curam antea habi-

tam fuisse, quia scilicet CHRISTVS ex eo populo nasciturus esset, atque ita rursus, non nouum consilium aduentus eius tunc in initum, & susceptum esse existimaretur, cum CHRISTVS aduenit, sed multo ante scilicet ex æternitate, quod, vt supra iterum admonui, sæpe repetit scriptura sancta aduersus eos, qui nouellam esse ecclesiam suspicabantur, quæ erat tamen ante constitutionem mundi electa, & ab ipso ortu hominis in lucem edita, & instituta. Idem quoque in regno Dauid ecclesiæ catholicæ typo, & Zorobabele typo CHRISTI docuit vetus scriptura, vt cum ait Micheas loquens de ipso Zorobabele rege futuro ex domo Dauid, Et egressus eius ex diebus æternitatis, perinde atque diceret, quod rex esset futurus Zorobabel, non esse nouum consilium, sed proficisci ex illa promissione facta quidem Dauid aliquando de perpetuitate regni in domo eius, decreta vero ex æternitate propter CHRISTVM regem seculorum ex semine Dauid in Bethleem natum, vt Zorobabel. Ergo ædificatam esse ecclesiam catholicam super fundamentum legis, prophetarum, & apostolorum, sit, vt ita nunc diffiniamus, firmamentum fidei, cuius dator est Deus, ex magisterio legis, & prophetarum, & prædicatione Apostolorum accepisse, sicut Apostolus ait. Sic autem prædicauit Euangelium hoc, non vbi nominatus est CHRISTVS, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed, sicut ait scriptura, quibus nō est annunciatum deo, audierunt. & cetera. Quod quidē magisterium, & ministerii opus, vt Paulus loquitur, cum ex æquo esset omnibus Apostolis iniunctum, sicut scriptum est in Euangelio. Misit eos prædicare regnum Dei, scilicet vniuersæ creaturæ, sicut in alio loco ait scriptura, essetque ex æquo quisque eorum hac ratione fundamentum ecclesiæ. Vnde Dionysius Areopagita eos appellat ὁμοταγείς id est eiusdem ordinis, Anacletus vero,

Cyprianus, & Athanasius, atque Leo magnus & alii pari honore, & potestate præditos, sicuti de sanctis prophetis dici quoque potest. Idcirco quod ait Euangelium de solo Petro, ædificandam esse ecclesiam super eum, tanquam super fundamentum, intelligi non potest de sola hac communi ratione fundamenti, qua (vt dixi) pares fuerunt Apostoli in diaconia, siue ministerio apostolatus, & par auctoritas doctrinæ eorum, ac potestas in iis omnibus, quæcunque ad prædicationem regni Dei aliqua ratione pertinere poterant, vt in miraculis faciendis, sicut scriptum est. Et dedit eis potestatem immundorum spirituum, vt eicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, & paulo post, hos duodecim misit Iesus. Fuerunt ergo pares potestate ac ratione pastorali & apostolatu, licet Petrus, vt Leo magnus ait, in apostolica dignitate primus, id est nõ fuerunt pares in prolesia, siue præsentia. Petro enim voluit Dominus cunctum populum Christianum commissum esse, eumque cæteris omnibus præesse, quicunque vellent esse vnius ouilis oues & membra corporis CHRISTI, quod est ecclesia, cum dixit ei, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, Sic enim appellasse Petrum tradunt sancti doctores ecclesie, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, & alii, quos prætereo, omnium verò luculentissime magnus Basilius in commentariis Esaiæ prophetæ, petram inquit appellauit petrum propter firmitatem maximam fidei, & propter infractum robur animi ad non cedendum plagis tentationum, ac periculorum. Super quam petram promisit Dominus ædificare ecclesiam suam, quare in eandem sententiam redit, quod doctores sancti alii aliis verbis interpretati sunt ædificatam esse ecclesiam, aut super confessionem fidei, id est super petrum confitentem bonam confessionem fidei, aut super sedem

Cap. 2.

apostolicam id est, super pontificem sedentem in sede apostolica, designat autem sedere in sacra scriptura firmitatem, atque auctoritatem regalem, siue pontificalem, aut super petrum, qui clarissime omnium interpretati sunt, aut super petram id est, super Christum, sicut scriptum est, petra autem erat Christus, & fundamentum aliud nemo potest ponere, præterquam quod positum est quod est Christus Iesus, tamen hos quidem fundamentum ecclesie incrementum præstans ædificationi eius, quod non est aliud præter Dominum Iesum, de quo Apostolus loquitur, distinguere oportuit à fundamento eiusdem non dominante, sed ministrante, id est, in opus ministerii posito, de quo Dominus in eo loco Euangelii, quem tractamus, loquitur. Nomine itaque petre, siue fundamenti, cuius est tum ædificium portare, sicut radicis ramos, tum firmare, & stabilire, auctoritatem summæ potestatis, siue præsentia Petri, ac perpetuitatem significauit. Hoc autem ita esse vel ipsa Euangelii consequentia declarat. Statim enim postquam de fundamento dixit, subiunxit Dominus, Tibi dabo clauis regni cælorum, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Scilicet sunt clauis symbolum potestatis, ac præsentia, vt perspicere quoque potest in illis clauibus pontificatus, quas promisit Deus per prophetam Esaiam Eliacim filio Elchia futuro pontifici. Erit (inquit) in die illo, vocabo puerum meum Eliacim filium Elchia, & induam illum stola, & coronam dabo illi. Pertinent verò hæc ad ornatum pontificis, quorum alterum, id est, coronam, symbolum esse imperii, siue regni, stolam autem, quæ varia est, & multiplex, pro varietate partium corporis, vt rationale, humerale, tunica, quæ omnia Moyses vocauit stolas, siue vestimenta, symbolum esse œconomia, quæ varia est in domo Dei, cui præest pontifex tanquam fide

Esa. 22.

lis paterfamilias, ipse Dominus per prophetam expo-  
 sisse videtur. Subiungit enim loquens de Sobna aua-  
 ro, superbo, & flagitioso pontifice, vt interpretatur  
 .. Eufebius. Et imperium tuum, & œconomiam tradam  
 .. in manus Eliacim, & erit tanquam pater habitanti-  
 .. bus Hierusalem, & habitantibus Iuda. Deinde sequi-  
 .. tur, Et dabo illi clauem domus David super humerum  
 .. eius, & aperiet, & nemo claudet, claudet, & nemo  
 aperiet. Perinde atque diceret ( vt idem Eufebius  
 interpretatur) dabo Eliacim pontifici, vt cum omni  
 auctoritate, & potestate præsit pontificatui in regno  
 Iudæ (ita enim interpretandum puto, dare pontifici  
 clauem domus David) ita vt nullus contradicat, ne-  
 que repugnet factis eius, vt ea conuellat ac labefactet,  
 sitque fixus, ac firmatus in munere, & administratio-  
 ne sua, &c. Id enim significat dare clauem super hume-  
 rum eius, Si quidem roboris, ac firmitatis symbolum  
 est humerus, sicuti fundamentum, siue petra. vt iam  
 perinde sit, quod est in Euangelio de ædificanda eccle-  
 sia super fundamentum Petri, & clauibus statim pro-  
 .. missis, atque si diceretur iuxta tropum Esaiæ, quo  
 .. vsus est in Eliacim Hebræo pontifice typo nostri pon-  
 tificis, Tibi dabo clauis regni cœlorum, id est domus  
 CHRISTI ex femine David secundum carnem, super  
 humerum, siue super fundamentum tuum, id est clauis  
 firmæ, & perpetuæ auctoritatis, vt aperias, & nemo  
 claudat, claudas, & nemo aperiat. Cæteri enim, tum ar-  
 chiepiscopi, siue metropolitani, & patriarchæ succes-  
 sores Apostolorum ( vt ait Dionysius Areopagita. )  
 Quod quidem designat pallium illud, quod ad solos ar-  
 chiepiscopos, & patriarchas mitti solet sumptum de  
 corpore B. Petri principis Apostolorum, Tum episco-  
 pi successores eorum, quos ipsi apostoli mittebant, vt  
 etiã veteres tradiderunt, nõ sic claudunt, vt nemo ape-  
 riat, neque sic aperiunt, vt nemo claudat, Non enim  
 acceperunt

acceperunt clauis regni cœlorum super humerum,  
 aut super fundamentum, quod ipsi sunt, quin alius pos-  
 sit aperire, si illi clauserint, aut claudere, si illi aperue-  
 rint, aut etiam clauis de manibus extorquere, si velit.  
 Neque necesse est, vt illi succedunt in Apostolorum  
 locum, ita quoque succedant in parem auctoritatem,  
 id est apostolicam, Quia scilicet nulli eorum, quibus  
 succedunt, dixit Dominus, quod Petro dixit, Super  
 hanc petram ædificabo ecclesiam meam Hierosolymita-  
 nam, aut Ephesinam, aut Alexandrinam, vt necesse  
 sit, qui Iacobo successit Hierosolymis, aut Ioãni Ephe-  
 si, aut Marco Alexandria, parem cum illis habeat au-  
 ctoritatem, quod hæretici volunt, vt successores Pe-  
 .. tri tollant, cui soli dictum est, Super hanc petram, id  
 .. est, super Petrum ita constanter ac fideliter consistentẽ  
 ædificabo ecclesiam meam. Quibus verbis præter au-  
 ctoritatem regalem, ac pontificalem ad stabilendum,  
 & firmandum populum Christianum, id est ecclesiam, Sap 6.  
 sicut scriptum est, Rex sapiens stabilimentum populi,  
 Perpetuitatem quoque successionis in regno ecclesiæ  
 vsque ad secundum aduentum significauit Dominus  
 iuxta alium tropum scripturæ non dissimilem. Cum  
 enim promitteret Dominus regi David perpetuam  
 .. successionem regni in domo eius, Firmabo (inquit) re-  
 .. gnum eius, & stabiliam thronum eius vsque in sempi-  
 .. ternum. Et paulo post, Et thronus tuus erit firmus in  
 .. sæculum. Rursus paulo infra, Reuelasti auriculam ser-  
 .. ui tui, dicens, ædificabo tibi domum. Sic nunc in hoc  
 Euangelii loco, in quo versamur, ædificare CHRIS-  
 TUM super petram regnum suum, id est ecclesiam,  
 est firmare illam perpetua auctoritate fidelis regis ec-  
 clesiæ, id est pontificis, vt sit thronus eius firmus, vsque  
 ad consummationem sæculi, quod statim declarauit,  
 cum subiunxit, quod paulo post copiosius explanabi-  
 .. mus, & portæ inferni non præualebunt aduersus eam,  
 C

id est, non interibit ecclesia hæc, neque desinet esse sic ædificata vsque ad consummationem sæculi. Sicuti regni Dauidici firmitas promissa est domui eius in æternum, id est, vsque ad aduentum primum eius, qui erat expectatio gentium iuxta prophetiam Iacob. Id enim significare illud in æternum, aut in sæculum sæpe in veterè scriptura, explanatum est in tabula illa ærea posita in Sion iussu Populi Romani ad testandam virtutem

» Maccabæorum. Quia (inquit) & sacerdotes eorum  
 » contulerunt Simonem esse ducem suum, & summum  
 » Sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis, &c. Hæc autem de duratione regni Dauid vsque ad primum aduentum, ita euenit *אֵלֶיךָ יְהוָה*, id est secundum literam, siue historiam, secundum vero spiritum, hoc est sensum latentem, & perfectiorem, tamdiu durabit regnum Dauid, quoad durabit ecclesia, in qua ut. S. Anastasius Synaites ait, cum Pontifice fidei regnat CHRISTVS de femine Dauid secundum carnem, cuius regni Symbolum est solennis illa pontificis coronatio. & regnabit vsque in sæculum, id est vsque ad secundum aduentum, succedente alio, atque alio pontifice vsque ad finem in hoc regno ecclesie. Animaduertenda verò est illa Euangelii perfecta, atque limata ratio, quam Græci *ἀντιστοιχείαν* dicunt, Non enim dixit, Super te ædificabo, ne forte suspicarentur homines promitti successionem fundamenti ecclesie naturalem, id est ex femine Petri, sicuti in Dauid, sed successionem ex electione, cuius auctoritas à Deo per pontificem profecta est. De hoc ergo regno CHRISTI secundum humanitatem in catholica ecclesia Christianorum, illud est accipiendum, quod Petrus dixit in actis Apostolorum, ut magnus Athanasius interpretatur in libro de Incarnatione contra Arrium,

» Secure cognoscat omnis Israël, quod Dominum &  
 » CHRISTVM fecit eum. Et illud Danielis, In diebus  
 » autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum,

quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Commouet, & dissipabit vniuersa regna, & ipsum stabit in æternum. Post enim tria illa potētissima regna Babyloniorum, Medorum, Macedonum sublata, & trāsata, & ad extremum, sublato etiam quarto Romanorum regno, quod licet ferreum esset iuxta Danielis interpretationem, & Dauidis prophetiam, facile tamen tanquam testam perfremit, ut more figuli refingeret, tunc inquam successit regnum CHRISTI, hoc est Christianorum, Omnes enim in CHRISTO vnum sumus. quod quidem regnum Christianorum idem dicitur Romanorum, Ut enim Babyloniorum regnum accipiendum est, eorum, qui successerunt in Babyloniis, sicuti Daniel somnium  
 » regis interpretans, Regnum (inquit) quod post te cō  
 » surget, id est, post successores tuos, Similiter Medorum, eorum, qui successerunt Medis, sublato, ac translato regno Babyloniorum, & Macedonum, eorum, qui in Macedonibus, sublato, ac translato regno Medorum, & Persarum, Similiter regnum, siue Imperium Romanorum accipiendum est, eorum, qui successerunt in regno Romanorum, Christianorum scilicet, ecclesie inquam Romanæ catholicæ, hoc est per totum orbem diffusæ. cuius vis, & fama, atque auditus in omnes fines terre peruasit, ut olim Imperii Romani, imo multo magis. in qua cum pontifice fidei rege spirituali, principe, pastore, ac summo pontifice nostro regnat CHRISTVS verus rex, secundum Melchisedech pontifex factus in æternum. in quo, ut omnes vnum sumus, ut Apostolus ait, sic in eo secundum spiritum omnes regnamus, & sumus sacerdotes, non tamen, ut heretici interpretantur, sed sicut scriptum est in Apocalypsi B. Ioānis. Fecit nos regnum, & sacerdotes: id est, regale sacerdotium, ut Petrus ait, siue regnum sacerdotale ad offerendas hostias spirituales, acceptas Deo per IESVM



CHRISTVM, & vt non regnet in nostro mortali corpore peccatum, sed regnet voluntas Dei, cui toti regno sacerdotali præest vnus pontifex vicarius CHRISTI, qui (vt sæpe dixi, & dicam sæpius, cum pontifice regnat, & regnabit vsque in sæculū, id est, vsque ad secundum aduentum, sicut ait Apostolus loquens de hoc regno, deinde finis cum tradiderit regnum, hoc est, nos Deo, & patri. Et paulo post, Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius, quando scilicet omnes resurgemus, & sistemur ante tribunal vnus iudicis incorrupti iudicaturi tunc orbem terræ futurum, de quo Apostolus loquitur ad Hebræos. qui tunc inimicos suos, qui noluerunt eum regnare, neque ei credere, ponet sub pedibus suis, id est puniet, & dissipabit, omni que principatu, ac potestate ecclesiæ euacuata, factus omnia in omnibus, solus iam (vt ait Anastasius Synaites in libro contra Iudæos) obtinebit, tanquam pater futuri sæculi regnum sine fine, quod erit deinceps αἰών id est diuinum (vt ait magnus Athanasius, non autem ἀνθρώπων id est humanum, & regnabunt cum eo, quicūque ei crediderunt, & præcepta eius seruarunt, de quo regno scriptum est, Regnabit Dominus cum eis in sæculum. Et in Daniele, Regnum eius regnum perpetuum, & potestas eius in generationem, & generationes, quod non præteribit. Ergo vt ad propositum referam multa de fundamento ecclesiæ dicta, & de regno pontificis, atque CHRISTI, cum pontifex sit radix & fundamentum ecclesiæ catholicæ, ac regni CHRISTI secundum humanitatem, ante constitutionem mundi decretum, & vsque ad consummationem sæculi duraturum, Qui auctoritatem ecclesiæ maiorem ponit quam pontificis, is profecto velle mihi videtur, vt rex ecclesiæ, cuius potestas regalis nõ a lege humana, vt in regibus sæculi, sed a lege diuina originē habet, nõ dif-

ferat a rege seculari, qui si pestifer sit, ac tyrannus, ei ei potest a subditis. Imo nolle videtur, vt CHRISTVS regnet, aut ita velle eū regnare, vt eiici possit e regno, cū regnet in pontifice, qualiscunq. sit, dum fide stat. velle itē vt rami aduersus radicē glorientur, & edificiū aduersus fundamētū, quasi non radix ramos, aut fundamentū fabricā portet, sed cōtra potius rami radicem, & fabrica fundamentū, quo quid stultius esse potest? aut naturæ rerū repugnātius? Itē cum edificiū sublatō fundamento ruat, necesse sit, Qui autem tollit soliditatem, ac firmitatem, perpetuitatem dico fundamenti huius, fundamentum ipsum tollat, sequitur, vt is, quantum in se est, ecclesiam tollat, & CHRISTI regnum perpetuum. Tollit autem regni perpetuitatem non quidē non esse aliquo temporis spatio, vel etiam annis aliquot, si ita accidat, pontificem, cum quo regnat Christus in ecclesia, & vsque ad finem regnabit: Sicuti non ideo non fuit perpetuum regnum Dauid, vt Deus promiserat. Quia quamdiu fuerunt Iudæi in captiuitate Babylonica, regem non habuerunt, neque ideo non fuit verum, quod scriptum erat de Aaron, & filiis eius, erunt mihi sacerdotes in religione perpetua, quia summo sacerdote tunc caruerint, imo carere necesse fuerit, Siquidem extra Hierusalem sacrificare non poterant, sine sacrificio autem sacerdotes creari non licebat, non (inquam) tollit perpetuitatem pontificatus in ecclesia catholica vacatio sedis apostolicæ, quamuis diuturna, si ita accidat, sed cum certus pontifex sit, non tribuere ei suam auctoritatem, hoc hoc est pontificem tollere. Quid enim aliud est hoc, quam ex pontifice facere non pontificem? aut pontificis potestatem in aliam commutare formam? Aut quid aliud est claudente concilium pontifice, aperire velle, quam clauis eius adulterare, qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit? Quod quidem à prophete-



ta Eliaia de Eliacim, tanquam de umbra pontificis nostri dictum est de nostro autē tanquam de imagine rei, id est CHRISTI. De CHRISTO ergo tanquā de re ipsa, & veritate, sicut scriptum est, Vmbra[m] habet lex futurorum honorū, non ipsam imaginem rerum. CHRISTVS itaque vere habet hanc clauem, sicut scriptum est in Apocalyp. B. Ioānis, Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clauem David, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Ita enim Ioannes interpretatus esse videtur prædictionem Eliaia de Eliacim, vt quod illic est, constituam eum in loco fidei, hic sit verus, quia scilicet nunquam deficiet. Et quod apud Eliaiam dictum est, Dabo illi gloriam, Apud Ioannem dictum est, Sanctus, est enim sanctitatis præmium gloria. Illud vero, Qui habet clauem David, & cæt. est quod Angelus dixit Mariæ, Dabit illi Deus sedem David, Sedes enim auctoritatis, & potestatis Symbolum est. quo etiam tropo, & figura dicitur sedes apostolica, siue clauēs regni cœlorum, id est, clauēs tum ecclesiæ catholicæ, quæ est domus CHRISTI ex semine David ( sic enim aliquando appellatur ecclesiā in Euangelio ) tum ipsius regni cœlestis, sicut est quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & cæt. Igitur qui aperiēte pontifice, claudere tentat, aut illo claudente, aperire, is profecto clauem CHRISTI adulterat, & clauēs vicarii eius, cui talem potestatem dedit CHRISTVS. sedēque David, quam dedit CHRISTO suo Deus, occupare vult, quicumque sedem apostolicā, in qua CHRISTVS de domo David cum pontifice suo sedet vsque ad consummationem sæculi, auctoritate sua priuat. & qui fundamentum ecclesiæ petram, pontificem inquam mouere vult, is profecto neque ipsi summo angulari lapidi IESU CHRISTO parcat. Et cum scriptum sit de vetere pontifice Eliacim, quod nō de illo, neque propter illum tantum scriptum est, Et

erit confidens in eo omnis gloriosus, à paruo, vsque ad magnum, quo designauit propheta omnis ordinis, omnitque status hominum studium, & obedientiam in eum. Certe qui pontificis auctoritatem infra ecclesiam ponit, hic non confidit in eo, neque gloriam, & honorē querit in domo eius, quare neque vitam æternam habebit, sicut Apostolus ait, iis, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Imo ipsa ecclesia si se efferret in pontificē suum, nō confidens in eo, quantum licet, neque in eo, tanquam in fundamento nitens, profecto non esset gloriola, neque esset totum corpus eius ex capite, qui est CHRISTVS, connexum, & ( vt Apostolus loquitur ) συσφαισθέν id est, cōmode dispositū, & coagmentatum, ita vt quodque membrū eius non solū sit coniunctū, & copulatum, sed, vt debet, loco suo locatum, vt motum & sensum, atque incrementū accipiat à spiritu CHRISTI. Vt. n. ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτοῦ diceretur, quod est supra locatū, & ὑποκεφαλῆς, quod infra, sic συσφαισθέν, quod neque infra, neq. supra est, quā debet. Atqui caput ecclesiæ catholicæ, qui est pontifex, infra ecclesiam ponit, quēadmodum seruat hunc συσφαισθέν id est aptam locationē, ac coagmentationē, vt ( sicut Apostolus ait ) secundū operationē siue energiam Dei in mensuram cuiusque membri suppeditatā, augmentum corporis fiat in ædificationem sui in charitate? Denique ( vt huc locum finiam ) qui pontificem facit minore auctoritate, quam sit, grauius is quidem mihi peccare videtur, quam si eum occideret. Tyrannus enim, aut persecutor, qui pontificem morte affecit in martyrio, corpus quidem perimere potuit, non tamen potuit facere, quin aliquando alius pontifex CHRISTI vicarius succederet, ædificataque esset ecclesia super petram, id est, super sedē apostolicam Romanam. At qui minorem facit pontificem, quā sit,

idem quantum in se est, pontificatum tollit, sicuti Deū tollit Iudæus, cum eum non facit trinum, & Arrius filium tollit, cum eum patre minorem facit, atque ita facit quantum in se est, ut portæ inferi præualeant aduersus ecclesiam Dei ædificatam super pontificatum Petri, Hoc enim sublato, ecclesia catholica ruit, & interit. Item qui pontifice claudente, ab alio aperiri potest, aut aperiente, claudi, idem quoque facit, quantum quidem in se est, ut portæ inferi præualeant aduersus ecclesiam Dei ædificatam super pontificem habentem clauēs regni cœlorū, quibus claudit, & nemo inter homines aperit, aperit, & nemo claudit, omnis enim potestas ligandi, atque soluendi ab eo manat, tanquam ex fonte, quem Dominus aperuit in medio ecclesie suæ sancte, ceu in medio horti. Sed explanemus hoc loco copiosius, ut supra promissimus, quid illud sit, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Repetam altius more meo collatis scripturis. Scriptū est in Gen.

» Patrem multarum gentium constitui te, faciamque  
 » crescere vehementissime, ponamque te in genti-  
 » bus, regesque ex te egredientur, & statuam pa-  
 » ctum meum inter te, & me, & inter semen tuum post  
 » te fœdere sempiterno, ut sis Deus tuus, & seminis  
 » tui post te. Et alias, Benedicam tibi, & multiplicabo  
 » semen tuum, sicut stellas cœli, & arenam, quæ est  
 » in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimico-  
 » rum suorum. Hæc intelligenda esse secundum sensum  
 » latentem, & spiritualement, ac perfectum de spirituali na-  
 » tiuitate ecclesie catholice, spiritualique regeneratione per  
 » CHRIS T V M ex fide, Dominus docuit in Euangelio  
 » Ioannis, cum de baptismo differens, Nicodemo  
 » miranti, quod dixerat, oportere denuo nasci, & qua-  
 » renti, quomodo possent hæc fieri, respondit, Tu es ma-  
 » gister in Israel, & hæc ignoras? perinde atque diceret,  
 » si Nicodemus non ignorasset, quæ admodum Abraam,  
 » factus

factus fuisset pater multarum gentium, & si memi-  
 » nisset, atque intellexisset, quod scriptum erat, Credi-  
 » dit Abraam Deo, & reputatū est illi ad iustitiam, post-  
 » quam Dominus dixisset illi, suspice in cœlum, & nume-  
 » ra stellas, si potes. Et dixit ei, sic erit semen tuum. Cre-  
 » didit enim in spem contra spem, ut Apostolus ait, ut  
 » fieret pater multarum gentium, non consideras, quod  
 » emortua esset vulua, corpusque suum emortuum, Si  
 » (inquam) hæc ex vetere scriptura intellexisset, agno-  
 » uisset profecto promissos esse Abraæ innumerabiles  
 » filios ex fide, id est credentes omnes, ita ut idem ho-  
 » mo posset bis nasci, esseque bis filius, semel naturæ,  
 » iterum vero promissionis, siue fidei, quæ erat iterata  
 » natiuitas, id est spiritualis, de qua loquebatur Domi-  
 » nus, quam Nicodemus non intelligebat, imo miraba-  
 » tur immemor scripturæ. Ex quibus omnibus inter se  
 » collatis intelligimus, Deo reuelante per scripturas san-  
 » ctas, ecclesiam credentium ex tam multis Abraæ fi-  
 » liis per baptismum ablutis, & sanctificatis constare, &  
 » tanto robore præditis, ut nunquam deficere possit se-  
 » cundum verbum promissionis, quin sit futura innume-  
 » rabilis eorum multitudo per totum orbem diffusa,  
 » usque ad consummationem sæculi, aliis scilicet, atque  
 » aliis succedentibus, quæ reges semper sit habitura fide-  
 » les iuxta pactum fœderis sempiterni. Ut enim semen  
 » Abraæ ecclesiam credentium accipimus secundum sen-  
 » sum spiritualement à CHRIS T O & Apostolo expositum,  
 » Sic reges ecclesie credentium, id est, filiorum Abraæ,  
 » pontifices intelligimus ex lege, atque pacto diuino pro-  
 » fectos. Quod vero ait Dominus, Possidebit semen  
 » tuū portas inimicorum suorum, mirifice cōgruit cum  
 » eo, quod est in Euangelio, Et portæ inferi non præua-  
 » leant aduersus eam, Ita ut portas inferi appellet ini-  
 » micos huius seminis Abraæ, id est, ecclesie, vel fidei  
 » credentium. Usque adeo autem non præualebunt ad-

uersus eam, neque aduersus ducem, seu regem eius, vt vincantur potius, & superentur. Quod quidem ad exitum perductum est, vbicunque pulsa idololatria successit cultus, & religio Dei, cui præest pontifex, prædicatumque est Euangelium CHRISTI. Quare qui pro ecclesia certare videntur, dum eam supra pontificem ducem, ac regem ecclesiæ, ponere volunt, profecto non pro ea, sed aduersus eam certant, quia scilicet aduersus ducem eius, hoc est aduersus firmamentum, & columen eius certant. Qui enim ducem, & regem oppugnat, exercitum eius, & regnum oppugnat, & ( quantum in se est ) dat operã, vt valeat aduersus eam, sed non præualabit, quia verbum Domini manet in æternum. & sicut scriptum est, Semen tuum possidebit portas inimicorum suorum, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauis regni cœlorum &c. perinde .n. est, atque diceretur, Tradam tibi me contenti ecclesiam perpetuo regendam ministerio pontificali. Nomen enim ædificationis, & clauium, regimen designat, nomen vero petre, fundamentum perpetuum fidei pontificalis. Cum autem loco Matthæi de ædificationis ecclesiæ fundamento iam exposito mirifice congruit locus ille ex Euangelio Lucæ, Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, tu autem aliquando conuersus firma fratres tuos. Vt enim in loco Matthæi post generosam illam confessionem, qua Petrus confessus est, CHRISTVM esse filium Dei viui, non quidem carne, & sanguine reuelante, id est, non ex humanis rationibus, sed reuelante patre de cœlis, qui testatus fuerat Christum esse filium suum dilectum, Vt (inquam). post fidelem illam confessionem, statim subiunxit Dominus de petra, & fundamento ecclesiæ, quod ad firmandum ædificium valere, nullus est tam rudis, & ignarus architecturæ, qui ignoret, Sic apud Lucam post mē

tionem fidei Petri, pro qua CHRISTVS, ne solus esse videretur, aut alienus à patre, se ait patrem rogasse, ne deficeret, subiunxit quasi explicans vsum, atque vim fidei illius non deficientis, & promptitudinē proprię voluntatis Petri. Tu autem conuersus firma, nempe magisterio, regimine, & auctoritate regali. Sicut ait Salomon, Rex sapiens stabilimentum populi, firma (inquã) fratres tuos, scilicet fides, quam negando amiserat Petrus, non defecit, quia non defuit dolor pœnitentiæ. Ita enim interpretatur B. Hilarius in libris de Trinitate. Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, id est, ne saltem desit dolor pœnitentiæ. Sic fides Marcellini non defecit, quia fides, quam non quidem corde (promptus enim erat spiritu, vt olim Petrus,) sed opere ob infirmitatem carnis negarat, idolis sacrificando, dolens recuperavit, ecclesiamque deinceps conuersus firmavit, id est, fideliter rexit, vt bonum, & fidele fundamentum eius. Ex quo loco intelligimus, tunc fidem omnino censendam esse deficere, cum qui illam negauit siue corde, siue ore, aut opere tali, non conuertitur, neque conuerti paratus est, ac tunc desinere esse pontificem, quod si conuertatur, iam fide stare, ac prouide pontificem esse. Etenim si Petrus negare perrexisset, etsi ore tantum, ita vt nunquam conuerteretur, profecto fides eius defecisse videretur. Hoc aduersus eos dixerim, qui de negatione Petri loquentes, falso putant, ideo fidem eius non defecisse, quia corde crederet, cū tamen potius, quia ab ecclesia hoc cognosci nō posset fidesque eius tūc deficere existimaretur, si ore negare, vt cœperat, pergeret, potius inquã dicendū sit, idcirco fidē eius nō defecisse iudicio ecclesię, quia paratus fuerit conuerti, imo cōuersus fuerit. Ad hunc ergo modū fides pontificalis, vt hactenus non defecit, sic non est defutura vsque ad consummationem sæculi, quando omnis potestas (sicut scriptum est) euacuabitur, id

est, ut non defuit hucusque Petri successor fidelis, cum quo CHRISTVS regnaret regnum humanum secundum humanitatem, sic non deerit in posterum, cum quo sic etiam regnet. Eodem itaque pertinet, orasse Patrem, ne deficeret fides Petri, & promissile super petram pontificalem fidelis, & apostolicę confessionis edificandam esse ecclesiam perpetuo, id est, ab vno pastore fideli vniuersam concordi, & fideli vnitatem regiminis stabiliendam, & regendam. Neque vero huius promissionis fidem euacuarit, aut huius orationis effectum frustrabitur, si quis pontifex aliquando fidem amittat, quod quidem fieri posse non negamus, cum nemo credat, nisi volens, sicuti scriptum est in Sapientia Si rach, Fecit Deus hominē à principio, & posuit illū in manu consilii eius, si voluerit seruare mandata, & operari fidē beneplaciti. Pontifices vero nostros, ut non confirmavit Dominus in bonis operibus, quos quidem ut homines peccare scimus, ita non confirmavit in fide. Ad quid n. in fide sola confirmaret, cum fides sine operibus mortua sit? Sicuti confirmavit quidem in utroque sanctos Apostolos, quos induit virtute ex alto, cum acceperunt virtutē superuenientis spiritus sancti. Quemadmodum vero, aut qua ratione verum existat, pontificem errare non posse, dicemus libro tertio, cum respondimus ad rationes aduersariorum. ex quibus vna est, quod aiunt, non posse ecclesiam, quę errare non potest, infra pontificē esse, qui potest. Ergo si pontifex amittat fidē, ut quidem potest amittere, non ideo (ut dixi) euacuata est fides promissionis, neque ideo cassa, & irrita oratio ad patrē pro fide Petri, sicuti neque quia in captiuitate Babylonica annis 70. nō fuit Rex de domo Dauid, aut quia fuit rex Herodes alienigena, idcirco non illud verissimum est, quod de Salomone scriptum est, Stabiliam thronum eius vsque in sempiternum. **U**t igitur nunquam defecit regnum Dauid, neque deficiet,

Eccl. 15.

sic neque fides Petri. Et enim si fides Petri deficeret, regnum quoque CHRISTI secundum humanitatem in terra deficeret, quod tamen deficere non potest vsque ad cō summationē seculi, ut sepe ante diximus, neque piget sepius repetere. Ergo, ut ad rē hęc conferamus, si Petro dictū a Domino est, ut firmaret fratres suos, quod nos cum loco Matthei de edificatione ecclesię super petram cōgruere docuimus supra, Minor autē auctoritas non firmat maiore, sed potius maior minorem, sequitur, ut maior fuerit auctoritas Petri, quam ceterorū Apostolorum, ac proinde totius ecclesię catholicę, nisi hoc quoque audeant dicere aduersarii, ecclesiam esse supra Prophetas, & Apostolos omnes, id est, discipulum supra magistrum. Sed veniamus iam ad illum locum Euangelii de pascendis agnis, & ouibus a Petro, qui locus facile potest intelligi collatis superioribus locis de Petro fundamento ecclesię perpetuo, de clauibus regni cęlorum ei promissis, & de firmandis ab eo fratribus post conuersionem suam ad fidem, ex omnibusque elici, quę ratio auctoritatis, potestatis, ministerii, ac muneris pontificii sit, & quorū spectet. Ergo pascere, in quo edificatio ecclesię consistit, regere est, ac gubernare, ut ex infinitis scripturę sanctę locis constat, quod quidem imprimis fide pastoris fit, ita, ut cui hęc fides in magnum pastorem CHRISTVM desit, is neque firmare tanquam fundamentum edificationis ecclesię, neque regere, ut pastor, & rector, neque claudere, & aperire velut clauiger possit, cui autem nō desit, is possit pastor esse, & curam habere viridum, quę sunt in agro, sicut scriptum est in Prouerbiis de pastore pecoris rationalis, id est, ut vireat religio, & cultus Dei in iis, quorum culturę instar agri cuiusdam præest. Deinde sequitur, Congrega fœnum montanum, ut habeas oues ad vestitū, & honora campum, ut sint tibi agni. Perinde atque præciperet Salomon pastori

Pro. 17.

habere curam viridium, sicut expositum est, ad pascendum, oves quidem fœno montano, id est, grandiores firmiore cibo doctrinæ, & seueriori regimine, agnos vero herba ex planitie campestri, id est rudes, & teneros, atque infirmos faciliori doctrina, atque molliori tractatione, & gubernatione. Ne autem aliter hæc acciperentur, quam moraliter, id est, accommodate ad mores, statim subiunxit auctor, Fili, a me habes dicta honesta ad vitam tuam, & tuorum, quibus præes. Præcipit autem pastori accurate, & vigilanter attendere gregi animarum sibi creditarum, & curare diligentissime, ut perspectum habeat, quid illis opus sit, idque dum tempus habet. Neque enim cum sit omnibus moriendum, semper futuram esse huius muneris pastoralis potestatem. Non enim in altero seculo licebit hoc munus administrare, euacuato iam (sicut ait Apostolus) omni principatu, & potestate, atque virtute. Sic itaque ait Salomon, Manifeste cognosces animas tui gregis, & adhibebis cor tuum tuis gregibus, quoniam non in seculum viro robur, potestas, & virtus, neque tradit ex generatione in generationem. Quamobrem postquam Dominus Petro præcepit pascere oves, & agnos, statim eum de morte admonuit, ut vel sic quoque ad immortalitatis studium eum incitaret, Cum (inquit) esses iunior, cingebas te, & cæc. Et paulo post. Hæc autem dixit, significans, qua morte esset Deum glorificaturus. Quod autem Dominus ter Petrum interrogauit, utrum amaret ipsum, non id fecit (sicuti Chrysost. ait in libro de Sacerdotio) ut disceret, quantum a Petro amaretur, sed ut ostenderet, quantum ipse CHRISTVS oves, id est, ecclesiam amaret, signumque esse charitatis in Deum & quidem maximum, diligentem ouium curam, sicut scriptum est in libro Sapientiæ, Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custoditio legum illius, custoditio vero legum confirmatio immor-

talitatis. Cum ergo pastoris sit pascere, id est regere, ac præesse, ad eumque spectet (ut tradit Salomon) videre, quid opus sit ouibus, profecto qui ecclesiam vult esse supra pontificem, oves vult esse supra pastorem, ad easque pertinere, videre, quid opus sit pastori, quod nihil est neque naturæ neque rationi, neque vitæ, neque diuinæ legi repugnantius. Sed veniamus iam postremo ad illum Apostoli locum, in quo postquam coniugii legem meminit, Sacramentum (inquit) hoc magnum est, ego autem dico in CHRISTO, & in ecclesia. Etenim si omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, quod scire opus est, & ad arguendum, ac prodendum errorem male sentientium, profecto dubitandum non est, quin hæc Pauli anagoge perutilis sit ad id docendum, quod de vicario CHRISTI, & sponsa eius ecclesia inquirimus. Docuit ergo Apostolus coniunctionem connubialem viri, & vxoris sacramentum esse, & quidem magnum in CHRISTO, & in ecclesia. Est enim CHRISTVS sponsus, sicut idem testatus est, Qui sponsam (inquit) habet, sponsus est. Sponsa autem est ecclesia, os de ossibus eius, & caro de carne eius, id est communicans, sicut scriptum est, carni, & sanguini, quæ sponsus participauit. qui cum adhæreat ecclesiæ, sintque ex vno ambo, sicut ait scriptura, Qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes, necesse est, ut sic sint vna caro, hoc est, hominisi, sicut Dauid dixit populo Israel, Os meum, & caro mea vos. Item cum ecclesia adhæreat CHRISTO per spiritum, sintque ex vno CHRISTVS, & spiritus ecclesiæ, qui est spiritus CHRISTI, ex vno (inquam) scilicet patre, necesse est, efficiantur vnus spiritus, sicut ait Apostolus, Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Sed incipiamus a primo sacramento. Propter hoc (inquit) relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Propter hoc, scilicet quod Deus coniun-

xit. Ita enim Dominus interpretatur in Euangelio, id est propter hoc vnum, quod sunt vir, & vxor, ita Deo instituyente. Sunt enim non iam duo, sed vna caro, vt postea magis declarabimus. Propter hoc (inquam) relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori, scilicet anteponitur vxor parentibus, quia per coniugium fit, vt parentes dicantur, & existant, per quod secundum legem a Deo constitutam augendum est genus hominum. Deinde addit, suæ, vxori inquam, quæ non iam patris, aut matris possessio est, sed sua, hoc est mariti. Vnde Iacob ad Labam quærentem Deos furto sublatos, Scrutare (inquit) & quicquid tuorum apud me inueneris, aufer. Vxores itaque suas, filias Labam non amplius patris, aut matris appellat, sed in suis numerat. Et quidem paulo ante, Timui (inquit) ne violenter auferres filias tuas. Violentum enim erat alienum per vim rapere. Idem verò etiam intelligatur de vxore, vt scilicet propter hoc quoque vxor relinquat patrem, & matrem, & adhæreat viro suo. Aequalis est enim vtrique lex matrimonii, vt satis Apostolus declarauit. Mulier (inquit) potestatem corporis sui non habet, sed vir, Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Meminit tamen potius de viro propter excellentiam viri, qui caput est mulieris, sicuti cum nos dicimur de carne, & ossibus CHRISTI, potius quam ille ex nostris, quoniam scilicet ille est princeps humanitatis. Sacramentum ergo hoc magnum est in CHRISTO, & in ecclesia, Siquidem, vt anagogen Pauli explicemus, cū ea copulatus est CHRISTVS, & vna caro, vnusque spiritus vtriusque. Propter hanc enim de cælo descendens, patrem in cælis visus est relinquire Propter hanc, parentibus Ioseph, & Maria relictis, remansit puer IESVS in Hierusalem, qui cum illud audiret, Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, respondit, Nesciebatis quod in iis, quæ

patris

patris mei erant, oportebat me esse. Perinde atque diceret, Nesciebatis Patrem despondisse mihi ecclesiam propter quam ego patrem, & matrem relinquere debeam, & ei perpetuo adhæreere? Sicuti idem promisit postea. Ego autem (inquit) vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi. Simile est, quod respondit, cum prædicanti nunciatum est, Mater tua, & fratres tui stant foris volentes te videre, qui respondens dixit ad eos, Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Perinde atque diceret, Oportet me parentes, & fratres relinquere propter sponsam, quæ eadem, quia ex vno patre ambo, soror est, vt in Canticis appellatur, & mater est, quia in iis, quos parit, CHRISTVM format, vt Apostolus loquitur Galatis. Deinde sequitur, Et erunt duo in carne vna, tum propter communem vtriusque naturam, tum propter communionem procreationis, quæ ex vtroque perficienda est, quam vulgo consummationem matrimonii, seu copulæ vocant, idque si liberis danda est opera. Quod ipsum magnum quoque sacramentum est in CHRISTO, & in ecclesia. CHRISTVS namque neque sine ecclesia, neque extra ecclesiam filios gignit. Ex vno enim vtriusque, CHRISTI scilicet, & ecclesiæ spiritu per spiritualis, & mystici matrimonii consummationem fit generatio filiorum Dei, qui renati sunt ex aqua, & spiritu sancto. Præterea quod paulo post idem Dominus dixit mulieri. Ad virum conuersio tua, id est perfugium tuum erit vir, tanquam Dominus. Statim enim sequitur, Et ipse dominabitur tui. Vir enim est caput mulieris, quæ viro debet esse subdita, & eum timere, sicut Apostolus præcipit. Hoc (inquam) sacramentum quoque magnum est in CHRISTO, & in ecclesia. Hæc enim ad CHRISTVM conuertitur semper, ad eumque se refert in omnibus, & confugit tãquam ad Dominum, illique subdita est, &

17

illum timet. Deinde lex est diuina, ne mulieres in ecclesia doceant, sed si quid discere volunt, domi viros suos interrogēt. Hoc etiam sacramentum est in **CHRISTO**, & in ecclesia, quæ si quid discere vult, **CHRISTVM** interrogat, scripturas eius scrutatur, sanctorumque eius magistros consulit, & adit, ac per eos docetur ab spiritu sancto, quem ipse sponsus, cuius est spiritus, promittit docturum omnia. Infinitum est huiusmodi sacramenta omnia persequi velle. Repetamus nunc a principio, & videamus, qualia hæc sunt in vicario **CHRISTI** sponsi & sponsa eius ecclesia, quod est nobis propositum, vt inde ad id, quod quærimus, lumen nobis ostendatur, ex mystica Pauli anagoge in **CHRISTO**, & in ecclesia, catagogen mysticam in pontifice vicario eius, & ipsa sponsa elicientibus, quam existimo non licere hic sine crimine perfidiæ, & impietatis contemnere, aut negligere. Etenim si lex coniugii carnalis sacramentum est in **CHRISTO**, & in ecclesia, & idcirco ex comparatione quadam per anagogen, vt Apostolus docet contemplanda est ratio coniugii spiritualis in **CHRISTO** sponso, & in ecclesia, dubitare non licet, quin hæc quoque ratio spiritualis matrimonii, cum pontifex sit sponsus ecclesie, vicarius **CHRISTI** veri sponsi, contemplanda etiam sit in eodem vicario, cui quidem sponsus **CHRISTVS** peregre proficiscens in regionem longinquam, ascendens (inquam) in cælos, & vadens parare locum, sponsam commendauit, quo absens filios suos magis subditos haberet, si vicarium **CHRISTI** præsentem oculis cernerent, ne (inquam) ipso sponso ablato virgo casta, & sponsa immaculata ecclesia ab adulteris, & libidinosis corrumpetur, & sicut serpens seduxit Euam in astutia sua, ita sensus corrupti a simplicitate **CHRISTI IESV** sponsi sui exciderent, alio Euangelio per hæreticos prædicato, & alio spiritu accepto. Commendauit ergo, & com-

misit vicario suo virgini, id est, fidem integram, & incorruptam tenenti virginem sponsam, matrem omnium nostrum ecclesiam, tanquam alteri sponso, cum nõ sit alius sponsus, præterquam qui illam sibi a principio ipse desponsauit, qui est **CHRISTVS IESVS** Commendauit (inquam) vt exhiberet illi nomine sponsi **CHRISTI** tanquam fidelis minister eius, quicquid sponsus debet sponsæ. Perinde atque diceret abiens, Sponsa, ecce vir tuus, & vir, ecce sponsa tua. Sicuti cum virginem matrem virgini Ioanni commendauit tanquam alteri filio, cum non esset, nisi vnicus ipse **CHRISTVS IESVS**. Commendauit, vt exhiberet ei, quicquid filius matri deberet, nisi quod Ioanni commendauit matræ, non vt præfset, sed vt præsto adesset. Vicario vero ecclesiam commendauit, vt præfset tanquam vir eius non coacte, neque dominanter (vt ait Petrus) sed forma ecclesie velut gregis factus, id est, exemplum gregis ad sequendum episcopum tanquam pastorem. Quod si de Ioanne scriptum est, accepisse in sua eam, quæ illi commendata erat, non vt præfset, sed vt adesset, quid dicendum est de eo, cui cuncta ecclesia commendata est, vt præsit, & adsit, nisi quod accepit eam in suam sponsam, & in sua, vt secundum gratiam pontificalem sibi datam daret illi mensuram tritici, & vt eius virginitatem, ac pudicitiam defenderet constituens episcopos, & pastores ecclesiarum, velut collocans custodes circa lectulum Salomonis 60. fortes ex fortissimis Israel, vt est in Canticis, qui armaturam Dei induti, ecclesiam, vt requiescat in sponso vero Salomone pacificatore nostro, a carne, & sanguine, & rectoribus tenebrarum, ac spiritibus nequitie defendant, cum bene præfunt rationi, & sensibus hominum, vt scilicet decem præcepta Dei perficiant, qui numerus in ratione, & quinq. sensibus sexcuplicatus sexaginta efficit. Verum hæc mysteria, vt cuique aptius videbitur, & commodius,



ita exponat. Illud vero, quod est proprium legis cōnubialis, vt scilicet propter hoc relinquat homo patrem, & matrem, & adhæreat vxori, & similiter vxor, non licet in mysterio, quod est in CHRISTO, & in ecclesia teste Paulo, variare, aut aliter accipere, quam vt intel ligamus, debere pontificem omnia necessitudinum iura, & omnia amoris pignora propter ecclesiam, si opus sit, relinquere, ita vt nullus homo quod Deus coniunxit, separet. Similiter ecclesiam quiduis potius perpeti, quam committere, vt non adhæreat pontifici tanquam viro, ita vt sint vna caro, & vnus spiritus, id ipsum dicentes ambo, ne sit schisma. Ex quo perspicui potest, quicū que ecclesiam supra pontificem ponunt, adulterare eos im pie legē Dei de matrimonio carnali, quæ similem legē spiritualis matrimonii in CHRISTO, & in ecclesia mystice continet, vt Paulus testatur, & docet. Quod si in CHRISTO, & in ecclesia, ergo & in vicario CHRISTI, qui est ecclesie caput, sicut vir caput est vxoris. Etenim si ecclesia est supra pontificem, & huic licet aliquādo nō sequi pontificem, neq. eidem adhærerere, dum viuunt, hoc est, cū fide stat, vbi illa in viro necessitas adhærendi vxori, & in vxore adhærendi viro, quā Dominus sanxit per os Adæ? Quomodo illa mysteriū, est in CHRISTO, ac proinde in vicario nomine CHRISTI, & in ecclesia catholica? si quod illic non licet, hic licet? Si illic non potest vxor propter patrem, aut matrem recedere a viro, id est, si nullus homo potest separare, quod Deus coniunxit, vt Dominus interpretatus est, hic vero potest ecclesia propter suam reformationem non adhære re pontifici, quæ est maxima omnium deformatio, id est, si potest concilium, ecclesia inquam, sua, hoc est hominum auctoritate separari ab eo, cū quo illam Deus coniunxit, ac copulauit? qui non est fornicatus cum Diis alienis, id est, cum dogmate profano, & hærese, neque adulterauit doctrinam, Denique qui viuunt, dum

adhuc fide stat, quāuis nequissime, & flagitiosissime viuat? Illud enim, mulier quanto tempore vir eius viuunt, alligata est legi, cum ad illud omnino pertineat, quod Apostolus dixit, sacramentum esse in CHRISTO, & in ecclesia, ad legem inquam insolubilem matrimonii, quam ex Genesi produxit, sequitur, vt hoc quoque sacramentum magnum sit, non quidem in CHRISTO, & in ecclesiis priuatis, quæ possunt per hæreses separari, & distrahi a CHRISTO, vt nonnullas videmus, sed in CHRISTO, & in ecclesia catholica, quæ se iungi non potest, ita vt anagogice intelligamus, quanto tempore viuat CHRISTVS, qui iam non moritur, & mors vltra ei non dominabitur, tanto tempore ecclesiam alligatam fore legi, id est copulatam cum CHRISTO, qui vsque ad consummationem sæculi futurum se cum ea promissit, non quod eam postea esset relicturus, sed potius nouo modo (sicut scriptum est) omnia in omnibus futurus. Catagogice vero simile intelligamus in vicario CHRISTI, & in ecclesia, ita vt quanto tempore ipse cum mortalis sit, & labi possit, in carne, & fide vixerit, & in episcopatu esse desiderarit, tantisper alligatam esse legi, id est copulatam matrimonio insolubili cum eo ecclesiam catholicam. In ecclesiis enim singulis, & earum sponsis episcopis non ita. Horum enim coniugia, mutatis, aut eiectis ipsis licet inuitis, & quāuis fide stantibus, dissolui possunt ab eo, qui præest vniuerso gregi. Non enim dixit Apostolus illud, ἄλυστον, id est, insolubile matrimonii carnalis sacramentum esse in CHRISTO, & in ecclesiis, sed in CHRISTO, ac proinde in vicario eius, & in ecclesia, nempe catholica. Ergo solum pontifex sponsus ecclesie mori cēsendus est, aut cum fide non stat, si quidem pontificatus eius, cum sit potestas in opus ministerii in ædificationem corporis CHRISTI constituta a Deo, cuius fundamentum est CHRISTVS IESVS, pontifex, qui aliud fun-



damentum ponit, præterquam quod positum est, neque conuerti vult, iam hic ædificare non potest, quare neque pontifex esse, neque petra, quæ quidem non nititur, neque niti vult in solido fundamento confessionis CHRISTI, aut quasi mori censendus est, cum spon te cedit pontificatu grege ei commisso assentiente. Ut enim nemo inuitus fieri potest episcopus ( sicut scri ptum est, Qui episcopatum desiderat, nõ quidem epi scopatu afficitur nolens) ita si idem velit recedere assen tiente ecclesia sua, potest. Et illud, Amas me? Pasce oues meas. Non dixit, Velis, nolis, pasce, sed si amas me, tunc (inquam) quasi iam vir dormierit, libera manet ecclesia, vt ei qui in Domino fuerit electus, nubat, quod ei facere necesse est. Non enim ecclesiæ viduæ cõ uenit, quod mulieri viduæ, vt secundum apostoli con silium beata sit, si sic permanferit. Quia scilicet quæ nu pta est, diuisa est cogitans, quæ mundi sunt, quomodo placeat viro, sicut rursus innupta cogitat quæ Domini sunt. Contra vero accidit in matrimonio spirituali. Ecclesia enim solatio pastoris viduata ( vt loquuntur) minus cogitat quæ Dei sunt, & cum copulata est, non diuisa, sed vnita est. Idcirco necesse est nõ solũ ecclesiã catholicã, sed neq. singulas ecclesias viduas esse. Debet .n. vnaqueque earũ propter fornicationes spirituales hereticorũ virum suũ habere, qui eis debitũ spirituale reddat, & a quo ipsæ ecclesiæ bonum semen Euange licæ doctrinæ accipiant, sicuti ait Apostolus. Propter fornicationem autem vnaquæque mulier virum suum habeat. Quod quidem sacramentum est non solum in ecclesia catholica, & eius sponso CHRISTI veri, & vnici sponsi vicario, sed in ecclesiis singularibus, earũ que sponsis, qui etsi vere sint episcopi, & a spiritu san cto positi, vt regant ecclesias Dei, tamen non ita proprie sponsi sunt nomine CHRISTI, atque ipse ponti fex, quatenus horum coniugia mutari, & dissolui pos-

sunt ( vt ante dixi) ab eo, qui præest vniuerso gregi, qui que est catholicæ ecclesiæ sponsus. Cuius solum coniugium ita est a Domino institutum, vt a nullo ho mine, neque hominum consilio dissolui possit, quam diu fide stat, & petra est, ac pastor esse vult, quamuis malus. In ipso enim, tanquam vniuersali vicario CHR ISTI, & in ecclesia catholica, cui solus in terris præest, sacramentum magnum esse illud ἀδελφός & vt ita di cam) insolubilitatem illam matrimonii carnalis, satis docuisse videtur Apostolus tunc, cum subiunxit, sacra mentum hoc magnum esse in CHRISTO, Et in eccle sia. Siquidem CHRISTI cum ecclesia catholica perpe tuum matrimonium, quod a nemine potest dissolui. Solus vicarius CHRISTI princeps Episcoporum re præsentat, & vicem eius gerit. Quemadmodum vero repræsentaret, si hic posset inuitus, dum CHRISTI vi carius est, ab ecclesia ipsa; id est sponsa sua propter vlla crimina repudiari? Cum enim hæreticus existit, po tius mori dicendus est, quam repudiari, propter for nicationem spirituales, cum ne hoc quidem, repudia ri propter fornicationem, virum ab vxore in ecclesiæ more sit, vt magnus Basilius scripsit Can. 9. de ea mu liere, quæ ob aliquam causam virum repudiarit. Siue (inquit) cederetur, neque plagas ferre vellet, sustine re quidem & perpeti potius debuit, quam se a marito auellere, siue iacturam dotis facere non pateretur, ne ea quidem honesta causa, siue quia maritus scortare tur, non habemus hoc in Canone ecclesiastico obser uatum, quamuis ( vt idem Basilius ait in eodem Canone) quod Dominus pronuntiauit, & sanxit de non di mittenda vxore excepta causa fornicationis, quantum quidem sententiæ cohæret, ex æquo tum in viros, tũ in vxores conueniat. Similiter ecclesiæ, vt omnia ordi ne fiant, non censuerunt adulteros in fide eicere, nisi iudicio, atque sententia sponsi. Ipse vero sponsus, si nõ

animas adulteras eiiciat foras, ac malum de medio tollat, sed potius in domo Dei, atque in societate fidelium versari sinat, stultus, & impius est, sicuti de eo scriptum est, qui adulteram retinet, de quo in eodem loco sequitur. Stultitia viri lædit vias eius, Deum vero acculat in corde suo. Perinde atque diceret Salomon, ideo illum stulte, atque impie agere, quia tum vitam suam infamia, atque nota stultitiæ afficit, tum contingit, vt Deum læpe secum (vt fit) criminetur, quod vxorem talem dederit, quod est impii hominis. Similiter stulte, imo stultius, & magis impie agit sponsus ecclesiæ, cum, vt dixi adulteras in fide animas non excludit, tum propter periculum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, tum quia se infamia, & male suspicionis nota condēnat, dum in eodem errore quē dissimulat, esse creditur, tum propter murmurationem, quæ inde aduersus Deum nascitur, quod errores in ecclesia Dei tolerantur, ac dissimulentur. Id circo vigilantissime initio tollendi sunt hæretici, ne postea aut dissimulanter perferre, aut cum zizaniis triticum euellere necesse sit, vt satis cum hæc temporum superiorum temporum memoria docet. Ergo, vt redeam vnde digressus sum, si vxor, quamuis plagas a viro accipiat, quamuis dotem, & bona omnia perdat, quamuis corruptissime viuat, tamen non potest eum repudiare, imo neque si fornicetur, quamuis repudiare illum posset, talem tamen consuetudinem ecclesia non habet. Quemadmodū possit ecclesia catholica pontificis sponsa repudiare eum, qui flagitiose, & scandalose (vt loqui solent) viuat, nisi quidem spiritualiter fornicetur? Iam enim tunc desinit esse vir, ac veluti mortuus est. Alia enim ratio est coniugii huius spiritualis pontificis, & ecclesiæ catholicæ, quod quidem cum fundatum sit in petra fidelis confessionis, statim vt pontifex cum hæresi fornicatur, suapte sponte dissoluitur

dissoluitur ipsum coniugium velut morte coniugis, ita vt alteri nubendum sit. In carnali vero coniugio non ita, sed potius mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quamuis repudiat. Præcipio inquit Apostolus, non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innupta, aut viro suo reconciliari, quæ quidem lex matrimonii æqualis est vtrique coniugi. Vxor enim non habet potestatem sui corporis, sed vir, Similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor, vt idem Apostolus docuit, qui ita clarissime Euangelium CHRISTI interpretatus est hîc, vt mirer esse, ex iis qui scripturas sanctas legunt, qui sentiant dimissa vxore propter fornicationem, licere alteram ducere, qui si Paulo Apostolo, & conciliorum, & sanctorum patrum canonibus tanquam interpretibus CHRISTI qui hoc præcepit, & sanxit, non autem Paulus, aut concilia, aut sancti alii, Ecclesiæ catholice, cuius consuetudo sancta, optima est Euangelii interpretes, Si (inquam) his interpretibus CHRISTI credere nolunt, quid superest, nisi, vt hæretici sint, & habeantur, atque, vt tales vitentur, ac puniantur, quia IESVM soluunt, quia legem Dei tollunt, & sacramentum magnum in CHRISTO, & in ecclesia negant. Sed pergamus vltius ad aliud mysterium. Diximus enim supra, anagogen Pauli sequentes, quod mulieri dixit Dominus, Ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui, Sacramentum quoque magnum esse in CHRISTO, & in ecclesia. Etenim si matrimonium carnale inter virum, & vxorem typus atque exemplum est matrimonii spiritualis inter CHRISTVM, & ecclesiam, vt Apostolus docuit, cui respondet matrimonium spirituale vicarii CHRISTI, & ecclesiæ, sequitur, vt conuersio etiam vxoris ad virum, quæ ad matrimonium pertinet, forma & exemplum sit conuersionis ecclesiæ ad CHRISTVM, cui etiam re-

spondere debet conuersio ecclesie ad pontificem, tanquam ad CHRISTI vicarium, & virum suum, ita vt ipse sit ecclesie perfugium, tanquam vir eius, habeatque eam sub sua potestate, & ipsa eum adeat, & consulat, præsertim in maioribus causis, ab eoque pendeat. In minoribus enim non opus est, sicuti vxor cum lanam facit, & alia huiusmodi domi cõsilio manuum suarum curat, sicuti Salomon ait de forti muliere, non refert ad virum suum, neque se ad eum cõuertit. Habet enim ecclesia pro tribunis, centurionibus, quinquagenariis, decanis multos, qui minora iudicent, ne necesse sit referre ad pontificem. Cum Cain mœstissimus esset, & irarum, atque doloris plenissimus de cæde fratris cogitaret, & tanquam in feram fœuissimã mutatus esset, tantum absuit, vt eum Deus sub potestatem sanctissimi fratris Abelis mitteret, vt potius diceret similiter atque hic, Ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius, Perinde atque diceret, vt Chrysostomus contra Iudæos libro sexto interpretatur, Tu metuis ne te priuet frater dignitate primogenituræ, metuis, inquam; propter melioris sacrificii honorem, quo eum affeci, verum desine hoc metuere, permance in honore primogeniti, esto fratri tuo perfugiũ, habeque illum sub tuã potestate. Similiter ergo vir quamuis pessimus sit, nõ ideo nõ conuenit illi, vt ad eum tanquam ad caput fiat conuersio vxoris, & ipse dominetur illius, sitque ipsa subdita illi, illum timeat, illumque habeat, & appellet Dominum. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres (vt ait Petrus) sperantes in Deo ornabant se subiectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abraę Dominum eum vocans. Sic etiam sancta ecclesia catholica debet subiecta esse in Domino semper viro suo põtifici CHRISTI vicario, quæ si velit aliquãdo se reformare, inuito pontifice, id est, non subiecta viro suo, neque sperans in Deo, fore aliquãdo, vt iustum iuste exequi possit, hoc

est reformare se auctoritate viri sui, perinde mihi esse videtur, ac si mulier ornare se vellet contra viri tui licet nequissimi voluntatem, nõ subiecta illi, neque sperans in Deo liberandam aliquando, quod qui negat in decorũ esse, & turpe, legem Dei de matrimonio ignorat, & quidem volens. Huiusmodi enim est is, cui Apostolus dicit, de ordine, & decore ecclesie loquens, quasi salutẽ eius desperans, Qui ignorat, ignoret, aut enim quæ nescit, non discit, aut quæ scit, contemnit. De hoc etiam scriptum est in Prouerb. Insuper explicauit malitiam suam, dixerat autem proxime, cognoscere legem rationis est bonæ, prudens agit cum cognitione, id est, Sapiens, quia spiritualis est, legem nouit, & secundum eam viuit, & sentit, omnia diiudicans, vt spiritualis. Bene dixit quidam, pessimum ignorantie genus esse errare volentem circa prudentiam. Diximus præterea supra, ecclesiam, si quid dicere vellet, CHRISTVM sponsum suum interrogare, scripturasque eius scrutari, & ab spiritu, quem sponsus promisit, de omnibus doceri, sicut Apostolus docuit, mandatum Dei esse, vt mulier in ecclesia taceat, & si quid discere vult, virum suum domi interroget, quod est (vt supra dixi) magnũ quoque sacramentum in CHRISTO, & in ecclesia. Quare erit & in vicario eius, atque in ecclesia catholica, quæ si dogmata sancire, canones condere, aut etiã hæreticorum sententias damnare velit, debet vt virum suum pontificem interrogare. Is .n. solus ἀββατὴν τοῦ τῶν τε, vt magnus Basilus ait, id est, habet solus in his auctoritatem. Ex quo iam intelligi potest non minus turpe, & iniustum esse, concilium cogi, & haberi inuito pontifice, quam mulierem volentem aliquid discere, virum suum domi non interrogare, sed potius contra Dei mandatum docere, & leges scribere, quo nihil est insolentius, neque superbius. Si quis (inquit) Apostolus loquens de honore, quem serui debent Domi-

nis fidelibus, aliter docet, non acquiescit sanis sermō-  
 nibus Domini nostri IESV CHRISTI, & ei, quæ se-  
 cundū pietatem est doctrinæ, superbus est nihil sciens,  
 sed languens circa pugnas verborum, vt is qui male  
 Apostolum intelligens, discrimen Domini, & serui fi-  
 delium tollendū esse ideo disputaret, quia qui seruus  
 vocatus est in Domino (vt Apostolus ait) libertus sit  
 CHRISTI, & similiter, qui liber, seruus CHRISTI,  
 ita vt vterque æqualiter libertus, & seruus CHRISTI.  
 Itē quia pretio empti sunt a CHRISTO fideles omnes,  
 non debere fieri seruos hominum vt idem Apосто-  
 lus ait. Item fratres esse omnes fideles in libertatem  
 Euangelii vocatos æqualiter, quare non debere eos in-  
 ter se iugo seruitutis teneri. qui sic (inquam) doceret,  
 & disputaret, superbus esset nihil sciens, sed languens  
 circa pugnas verborum, non intelligens, neque quæ lo-  
 quitur, neque de quibus affirmat. Similiter dicere li-  
 ceat de eo, qui pugnis verborum, falsisque rationibus  
 impie, & superbe contendit tollendam esse subiectio-  
 nem sanctæ ecclesiæ a malo pontifice, nec cum qui-  
 dem intelligere, quæ loquatur, neque de quibus af-  
 firmet, sed potius in vaniloquium conuer-  
 sum aberrare a via veritatis. Verum ad  
 rationes, seu potius istorum ca-  
 ptiones Tertio libro,  
 respondebimus.  
 Nunc paulisper respirantes secundum  
 aggrediemur.

## LIBER SECVNDVS



VAE superiore libro ex sancta scriptu-  
 ra, eiusque idiomate protulimus de ec-  
 clesiæ super hanc petram ædificatio-  
 ne, de regno CHRISTI in terris se-  
 cundum humanitatem cum pontifi-  
 ce, de ministerio, & perpetuitate fun-  
 damenti pontificalis, ac regni ecclesiastici firmamen-  
 to, tum de ratione ouium pascendarum, & de firman-  
 di fratres auctoritate perpetua fidelis pontificis, postre-  
 mo de mystica Pauli anagoge, collatis legibus coniu-  
 gii carnalis cum matrimonio spirituali CHRISTI, ac vi-  
 carii eius, & ecclesiæ. Hæc (inquam) a nobis hætenus  
 mediocri studio tractata, satis sunt ad demonstrandum,  
 iis, qui (vt Salomon ait) non tentant Deum, neque  
 sunt increduli, pontificis supra concilia omnia præstan-  
 tiam, maioremque eius, quam ecclesiæ catholicæ, cui  
 præest, auctoritatem, non enim solui potest scriptu-  
 ra, cuius tropi, & idiomata (vt quidam vetus, & gra-  
 uis auctor scripsit) maioris fidei, & auctoritatis sunt,  
 quam vlla attica compositio, vllumque argumentatio-  
 num dialecticarum artificium, quam qui soluere cona-  
 tur, IESVM tentat soluere, Quem quidem ipse pri-  
 us IESVS soluet, & gladio oris sui, id est iudicio illo  
 suo horribili & pertimescēdo diuidet, partemque eius  
 ibi cum infidelibus ponet, vbi erit fletus, & stridor dē-  
 tium. sequitur nunc SALVIATE, vt ostēdamus hanc  
 eandem fuisse semper ipsius ecclesiæ catholicæ, sancto-  
 rumque doctorum sententiam. Meminisse hic liben-  
 tissime veteres pontifices sanctitate, ac doctrina excel-  
 lentes, nisi eos isti tanquam suspectos reiicerent, qua-  
 si gloriam suam quærentes, cum tantum honoris Apo-  
 stolicæ sedi tribuebant, ac non potius honorem & glo-  
 riam eius, qui talem potestatem dedit homini. Tace-

ho itaq. pontifices, & quos pontifices bone Deus, qua sanctitate, doctrina, grauitate & vetustate, Anacletū dico, Calixtum, Marcellū, Bonifaciū Martyres, pontifices Siluestrum, Iulium, Eusebiū, Damasum, Leonem, Gelasium, Gregorium, Innocentium, Adrianum, Nicolaum, multoque alios, ne omnes enumerem, qui clarissima voce pronunciarunt, pontificem nullum in terris habere iudicem. Quos non dicam hic quam sit stultum, iniquum, & sceleratum suspicari, aut sanctissimos pontifices, & eorum non paucos martyres mentiri in re tanta, cum tanto omnium scandalo, perpetuo voluisse, aut sapientissimos, potestatis suæ, quam gerebant, modum, & fines nescisse. Illud profecto dicam, quod Moyses filiis Leui, Quis est Aaron, vt murmuretis contra eum? Perinde atque diceret, non ad Aaron, sed ad Deum vestra pertinet admurmuratio. Et Deus Samueli, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Sic isti de quibus loquor, concilii contra pontificē defensores, non in pontifices murmurant, sed in Deum, qui vt Maria illa lepra olim affecta est, quia vt Dionysius Arcopagita interpretatur, contra Moysen murmurans voluit *θεσμοθετεῖν*, id est legem constituere, cum dixit, An Moysi solum locutus est Dominus, & non nobis? Sic isti, qui contra pontificem murmurant, & canone sancire volunt, concilium esse supra Papam, putantes secum de hoc locutum esse Deum, Leprosi sunt, eiiciendi quidem e societate hominum, ne alios communionem profani vaniloquii polluant, quod multum quidem, sicut scriptum est, ad impietatem proficit, quorum sermo tanquam cancer serpit, errantium, & in errorem mittentium. Quare discedat ab iniquis istis, & impiis omnis, qui inuocat nomen Domini. Qui enim negat pontificem supra concilium, idem aut sciens, aut ignorans negat, super pontificem non soluentem IESVM, sed confitentem ædi-

ficatam esse ecclesiam, quam concilium representat. At hoc qui negat, ne fundamentum quidem ipsum, quod est CHRISTVS IESVS, quem Petrus confessus est, cum petra, & basis columnæ veritatis, quæ est ecclesia, sibi, suisque legitimis successoribus esse meruit, relinquit. Ergo neque CHRISTVS venit in hunc mundum. Rursus, inanis est spes, inanis est fides nostra, inanis est apostolica prædicatio. Qui enim pastorem facit minorem, quam sit, eundem profecto, quantum in se est, tollit, qui verò pastorem tollit, oues quoque tollit, & qui has non relinquit, neque pastorem magnum ouium relinquit IESVM, & qui hunc negat, totum mysterium œconomix CHRISTI negat, non natus est CHRISTVS, non passus, non resurrexit, neque nos resurgemus. Vide quousque cancri contagio progressa est, concepta primum Constantiæ, edita postea Basileæ, mox a fraterculis gigantū Ochanistis in sinum, atque in gremium tanquam a nutricijs excepta, & nutrita. Sed firmum fundamentum Dei stat, vt ait Apostolus. Quare valeant seditiosi isti leprosi filii Leui, qui de sceleratæ suæ linguæ igne ignem gehennæ sibi incendunt. Scio non defuisse quosdam erroris huius patronos, viros alioqui probos, ac doctos, Gersonum dico, Abulensem, Cusanum, (& si hic melius ante senserat in epistola ad Rodericum Hispaniarum oratorē) & non paucos ex illo Costantiensi, ac Basileensi conuētu, & concilio, quos equidem tametsi non condēnem, eorum sententiam alioqui condemnans, tamen qui sic nunc sentiunt, eisdem cum sententia sua peruersa, ac pertinaci damnandos, imo damnatos esse iudicari, conuenireque hic, quod Cyprianus de calice Domini differens, in secundo libro epistolarum scripsit, Si quis (inquit) de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc obseruauit, quod nos Dominus facere exemplo suo, & magisterio docuit, potest simpli-

citati eius de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti, & instructi sumus. & Vincentius Lirinensis grauis, & antiquus auctor de ipsius Cypriani errore in iteratione baptismi Nouatianarum, Absoluuntur (inquit) magistri, & condemnantur discipuli. Veniamus ergo prætermisissis pontificibus, ad concilia ipsa canonica, id est auctoritate pontificum congregata, quorum conciliorum, id est pontificum canonica maturitate de concilii sententia decernentium, maximam esse in decretis, ac iudiciis faciendis, auctoritatem, ac fidem omnes confitemur, maiorem inquam, quam ipsorum pontificum, quando scilicet non constat, utrum mature, atque legitime decreuerint, omniaque illa in maioribus causis seruarint, quæ Gelasius pontifex fortissimus hæreticorum, ut Nicolaus pontifex appellat, expugnator, in tomo de vinculo anathematis posuit, loquens de absolutione Petri Alexandrini hæretici, quæ hæretici fingebant a pontifice factam. Si (inquit) pontificum præcessit assensus, doceatur a quibus, & ubi ille sit gestus, si secundum ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione de promptus, si synodali congregatione celebratus, quod quidem in receptione damnati, & expulsionem catholici, quia noua causa est, fieri certissimum est. Hæc autem in decretis, ac iudiciis conciliorum seruantur omnia, &c. Veniamus inquam, ad concilia quorum iudicium, ut recte Leontius Cyprius contra Acephalos scripsit, solutio est omnis dubitationis in utramque partem, cum quibus qui pugnat, nõ iam cum quibusdam personis, sed cum toto christianismo pugnat, ordiamurque a concilio illo nobilissimo Niceno columna, & firmamento veritatis, in quo fides homoussi, hoc est, vnus, eiusdemque substantiæ Patris, & filii non minus fortiter aduersus

Arianos

Arianos a trecentis decem, & octo episcopis defensa est, & ad eam multitudo populorum reducta, quam ab illis item trecentis decem & octo expeditis vernaculis fidelis Abraæ fugati, & percussis reges allophyli, & substantia Loth fratris recuperata. Sicut scriptum est, Percussit eos, reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum, mulieres quoque, & populum, & quæ sequuntur. Cuius magni concilii sententia, si nulla præterea alia esset, tota hæc his terminari deberet. Sententia ergo, atque decretum concilii Niceni est, ut accusatis, vel etiam damnatis episcopis, liceat Romanum pontificem appellare, imo ut quicumque voluerint, libere, & absque villo impedimento ad apostolicam sedem prouocare, & cõfluere possint. Item ut concilium præter auctoritatem pontificis celebrari non possit. Quæro ab istis, an non videtur decreuisse synodus Nicena esse pontificem supra concilium omnium episcoporum, quæ non carne, & sanguine reuelante, sed spiritu sancto per CHRISTVM, & apostolos eius docente, & stante, omnibus episcopis ius esse decreuit, appellare pontificem, ut summum iudicem, cuius iudicio in terris extremo ante aduentum illi magni iudicis viuorum, & mortuorum causas eorum terminari voluit, & sanxit, imo hoc CHRISTVM, ac CHRISTI Euangelium velle declarauit, tanquam interpretis diuinæ legis, ex qua ortum ducit hæc potestas pontificalis? Præterea decretus, sancitusque est canon in eadem synodo, de retractandis Synodis prouincialibus per vicarios episcopi vrbis Romæ, si ita decreuerit. Ita enim habet canon, Respondeant ergo isti, quemadmodum Nicena Synodus concilium supra Papam esse iudicari, ac non potius contra, quæ quidem sanxerit, ac iudicari, ius esse pontifici, a ita rescindere concilii, cui ipse per se, aut legatos suos non præferat, id est, concilii non œcumenici, sed prouincialis, quale necesse est esse, ut honestissime ap-

pellem, concilium istud malignantium, quod aliquando inuito pontifice cogi, & haberi posse contendunt. Œcumenicum enim concilium est, cui ex multis prouinciis conuocato per se, aut vicarios suos præestis, qui solus est Episcopus Œcumenicus, quia ei cunctus orbis commissus sit, vnde nomen Œcumenicum dictum est. Hic enim solus dici potest Œcumenicus contra importunam Græcorum Patriarcharum insolentiam. Prouinciale vero, cui non præest hic, quamuis ex plurimis prouinciis aliquando congregetur. Ita vt generale siue vniuersale concilium, quod a Græcis Œcumenicum appellatur, sit, quoties auctoritate pontificis, qui, vt dixi, solus est episcopus Œcumenicus, siue vniuersalis vel generalis, indictum, & conuocatum est generaliter, sicut ex ipsis literis quibus indicitur, perspicitur, vt de omnibus quæcunque ad eum relata fuerint, a pontifice, vel eius legatis cum concilio statuatur, siue plurimarum, prouinciarum episcopi conueniant, siue non plurimarum, modo omnibus tanquam vocatis, & accersitis liceat eo accedere. fortasse sicut dici solet Romæ publicum consistorium, in quo aliquid agatur, quod publicum esse volunt, & liceat eo accedere omnibus, quasi vocatis, esto non multi accedant aliquando. Vt enim sit Œcumenicum, & vniuersale concilium, non tam necessaria est plurimorum episcoporum frequentia, quam auctoritas Œcumenici, & vniuersalis episcopi. Quare, qui concilium volunt esse supra Papam, secum pugnare necesse est, si hoc velint accipi de Œcumenico concilio, cum, vt dixi, Œcumenicum non sit, nisi cui Œcumenice, siue generaliter indicto, & conuocato per se, aut suos legatos, is, qui est Œcumenicus episcopus, præest lege non quidem humana, vt rex secularis, qui & ea lege præest regno, & regnum est supra eum, sed diuina. qui idcirco fere non potest legitime vniuersalis concilii acta rescindere, vt potest pro-

uincialis, quia cum illi præfuerit per se, aut vicarios suos, aut in antecessoribus suis, qui sic illi concilio præfuerunt, non debet in eo esse, est, & non, ne secundum carnem cogitare videatur, aut leuitate vsus, sicuti Apostolus dixit in mutatione concilii sui de profectio ad Corinthios, in quo quidem non fuit, est, & non, quia ita poscente ratione, prius fuisset profectus in Macedoniam. Similiter in pontifice non fuerit est, & non, quoties ratio Œconomiae postularit decretum Œcumenici concilii rescindere, tametsi aliquando approbarit, ratumque habuerit. Posse autem hoc, quis est qui dubitet? cum id aliquando expediat, & edificet, imo necesse sit ad ecclesiae vtilitatem, vt ex Nic. Con. Canone. 2. & Carth. ca. 35. intelligi potest, vt pontifices taceam. Ex quo rursus sequatur maiorem esse auctoritatem pontificis, quam concilii Œcumenici. Sed redeo ad canonem Nicenum de appellationibus, de quo, quia vel eo solo falsa horum de auctoritate concilii supra Papam sententia damnata est, hic solum scrupus restabat, vt dubitarent, vtrum certus esset, sed ne dubitent, pleni sunt libri Ecclesiastici omnes canonis huius mentione, ac celebratione. Testes episcopi Aegyptii catholici, qui propter hunc præcipue canonem de appellationibus, ad tuendum se suasque ecclesias, integra exemplaria Canonum Niceni concilii, quæ illis fuerant exulta omnia, à Marco pontifice ex scriniis, seu tabulariis Palatinæ bibliothecæ petierunt. Testis Marcus pontifex, qui se illos misisse testatur. Testis item successor eius Iulius, qui ad episcopos, qui contra Athanasium perfide, ac scelerate sine auctoritate pontificis coierat, misit multos Niceni concilii Canones ex exemplari Romano fidelissime, vt idem iurat, descriptos, cum literis suis, quibus eos vehementer accusat, quod cum alios, tum canones ecclesiasticos de appellationibus, & nõ habendo concilio sine pontificis auctoritate vio-



lassent. Ac ne existiment in solis Latinorum libris hæc legi. Meminerunt harum literarum Socrates, & Theodoretus in historiis suis ecclesiasticis. Itaque quod scripsit Iulius his verbis, porro dudum a sanctis Apostolis, & successoribus eorum in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hæcenus sancta, & apostolica tenet ecclesia, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari, Socrates ita vertit extrema verba, *ἐκκλησιαστικῶν κανόνων κελύοντος μὴ εἶναι πρὸς ἡγάμενον τὸ ἐπισκόπου ῥόμης κωνσταντῶς ἐκκλησίας.* Testis præterea Zosimus pontifex, eiusque legati, quibus ille inter cætera mandata commonitorio (vt vocant) adiecit canonem Niceni concilii de appellationibus, qui in concilio sexto Africano, cui B. Augustinus interfuit, recitatus est ab eisdem legatis, & ab Africanis receptus. Testis magnus Gelasius, & Nicolaus primus, aliique pontifices, quos, ne sim longior, prætereo, qui omnes hunc de appellationibus Niceno tribuunt concilio ab ipsis tamen primum Apostolis acceptum, vt tum Iulius, tum Marcellus pont. affirmant. Sed fortasse isti, vt sunt morosi, neque testes esse volunt in hac causa, quos semel iudices esse noluerunt, pontifices dico, Quare vertam me ad alios. Testis Enodius Ticinensis in libello illo Synodico, cui tantam dedit auctoritatem Synodus Romana quinta Symmacho pontifice, vt inter acta eius Synodi relatus fuerit de concilii sententia. Denique testis sancta, & magna Synodus Sardicenis ex ducentis quinquaginta episcopis profectis, vt auctor est Theodoretus ex vrbe Roma, Hispania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Africa, Sardinia, Pannonia, Mysia, Dacia, Dardania, ex altera Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Asia, Caria, Bithynia, Helleponto, Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponto, altera Phrygia, Cilicia, Pamphilia, Lydia, ex Cycladibus, Aegypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palestina, cu-

ius Synodi sanctitatem, tū ex canonibus, tū ex literis eius ad omnes episcopos catholicos, quarum exemplar nobis descripsit Theodoretus, perspicere licet. Ergo vnus huius Synodi canon est, si episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati episcopi illius regionis, & de gradu suo deiecerint eum, & appellauerit, & confugerit ad beatissimum Romanæ ecclesiæ episcopum, & voluerit audiri, & iustum putauerit reuocari examen, scribere dignetur iis episcopis, qui in finitima regione sunt, vt ipsi diligenter omnia inquireant, & secundum fidem veritatis diffiniant. Quod si is, qui causam suam iterū audiri rogat, precibus suis mouerit episcopum Romanum, vt e latere suo mittat presbyteros, erit in potestate episcopi, quod recte videatur & si decreuerit, mittendos esse, qui auctoritatem eius, qui misit, habentes, cum ipsis episcopis iudicent, id quoque integrum erit. &c. hunc canonem Faustinus episcopus, Philippus, & Afellus presbyteri, legati pontificis Zosimi in Synodo Africana Synodi Nicenæ esse affirmarunt. Teneo istos, elabi non poterunt. Aut enim hunc canonem Synodus Sardicenis renouauit ex Niceno, vt plerisque alios, aut prima cōdidit. Si Sardicensis esse maluerint, nihil miror. Neque enim concilii huius sanctissimi ac grauissimi auctoritate negare audebunt, aut probatū a sede apostolica dubitabunt, & si fortasse nō hoc requirēt, alterius etiā canonis Niceni concilii qui est, ne liceat, neque cōtra auctoritatem, neque sine auctoritate pontificis Synodum haberi, plerique meminere viri grauissimi, ac sanctissimi, quibus nemo poterit non habere fidē, quicunque sibi alioqui viro probato aliquid affirmanti haberi velit vnquā a bonis, & æquis viris. Cum ergo Synodus Nicena statuit, imo ante eam Apostoli, vt etiam Marcellus PP. affirmat in epist. prima ad Antioch. ne citra auctoritatē pōtificis, cōciliū haberi posset, nōne statuit



& iudicauit, pontificem esse supra concilium? Quis enim vnquam iudex a reo auctoritatem veniendi in curiam ad subfella, & sedendi pro tribunali, vt isti loquuntur, tum iudicandi, atque decernendi capit? Synodi enim prouinciales, quæ neque præfente pontifice, neque eius legatis, imo neque eo consulto, per prouincias singulas annis singulis haberi possunt, primû, ne quæ quidem citra auctoritatem pontificis congregantur, cum ius congregandi, & habendi eas auctoritate pontificis sancitum sit in Can. Apostolorû, in Aſiatica Synodo, in œcumenicis conciliis Niceno, Calcedonenſi, & altero Niceno, id est septimo. Deinde quæ in illis decernuntur, retractari possunt, si pontifici videatur, sicuti in Niceno etiam decretum est, vt supra memini. Præterea in Synodis prouincialibus, quamuis ex pluribus prouinciis congregentur, maiores causæ, vt damnationes episcoporum semper Romano pontifici referuandæ sunt, vt ex eodẽ Niceno concilio, & Sardicensi didicimus, & summus pontifex Gelasius, idemque prudentissimus, ac sanctissimus hunc veluti interpretans Canonem in tomo de vinculo anathematis, Quod firmavit, (inquit) in Synodo, sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit hoc habere non potuit firmitatem, sola rescindit quod præter ordinem cõgregatio Synodica putauerat vsurpandum, non iteratę sententię, sed cum sede apostolica veteris executrix. quod si hic quia pontifex Romanus est, ideo minoris est apud istos auctoritatis, anteponant ei, si placet, Enodium Ticinensem diaconum Romanum, qui scribens aduersus eos, qui contra canones in Symmachum pontificẽ Synodum congregarāt, nomine aduersariorum sibi obiicit, ergo concilia sacerdotum, quia præsentiam Papæ non habent, valentudinem perdididerunt? Deinde respondit subiungens, legitis insanissimi aliquando in illis, præter apostolici

Papæ sanctionem aliquid constitutum, & non de maioribus ad collationem, si quid occurrerit, sedis apostolicæ arbitrio fuisse referuatum? Ergo neque concilia prouincialia sine auctoritate pontificis congregantur, & congregata de maioribus negotiis non agunt, sed potius pontifici referuant, de minoribus vero sic agunt, vt retractari possint, & quamuis de eis pro arbitrio statuant, tamen vt aliquid eorum fixum, ratumque sit, postea ad pontificem est referendum. Quæ ergo ista concilii supra pontificem auctoritas, quod est in Niceno concilio decretum, neque sine auctoritate pontificis cõgregari posse neque quicquam decernere, quod ratum sit, nisi ad pontificem referatur? Aut enim concilium istud sceleratum, quod ad reformandam, vel potius dicam, deformandam ecclesiam, inuito pontifice congregari, & haberi posse impie contendunt, œcumenicum erit, & vniuersale, quod non credo, dicere audebunt, cum non præsit ei is, cui vniuersus orbis commissus est, vt sancta scriptura, doctoresque sancti eius interpretes testantur, neque legati eius, vnde potissimum est, & dicitur œcumenicum, Oecumene. n. orbem habitatum significat, aut prouinciale erit, id enim relinquitur, quamuis ex plurimis collectum prouinciis, vt illud Sardicense, quod supra meminimus, At huiusmodi concilium retractari potest per vicarios episcopi Romæ, & quod in eo approbauerit, ratum erit, quod vero improbauerit, irritum. Quemadmodum ergo supra pontificem erit, quod ab eo, vel vicariis eius rescindi, abrogari, & retractari potest? Sed tranſeamus ad concilium Calcedonenſe magni Leonis auctoritate, & sexcentorum episcoporum numero, & consensu celeberrimum, in quo ita Canone nono sancitum est, si clericus cum suo, aut cum altero episcopo litem habet, diiudicetur ealis in Synodo prouinciæ, sin autem cum prouinciæ metropolitano vel episcopus, vel cleri

cus litiget, adeat exarchum, id est principem dioce-  
 feos, vel sedem regiam Constantinopolitanam, & ibi  
 iudicetur. Adiungam vero Canonis huius explana-  
 tionem non ex aliquo ex nostris iurisperitis, & si  
 illi quidem magni sint, & nobiles, sed ex pruden-  
 tissimo iuris, eodemque sanctissimo Nicolao primo  
 pontifice, in quo (inquit) hic tenor obseruandus est,  
 „ vt si videlicet clericus, aut episcopus aduersus me-  
 „ tropolitanum habet querelam, & tanta vrgetur ne-  
 „ cessitate, vel si hoc graue non ferat, vbicunque sit  
 „ positus, primatem diocefeos petat. Quod si iuxta Cō-  
 „ stantinopolitanam urbem quisque eorum cōstitutus,  
 „ & solius præfulis eius iudicio velit esse contentus, pe-  
 „ tat eandem regiam urbem. Cum enim dixisset petat  
 „ primatem diocefeos, præceptum posuit eadem sancta  
 „ Synodus, regulamque constituit. Cum vero disiuncti-  
 „ ua coniunctione addidisset, aut sedem regiam urbis  
 „ Constantinopolitanæ, liquet profecto, quia hoc secun-  
 „ dum permissionem indulgit. Ergo saltem nunc non vi-  
 „ detis ad maiora semper esse properandum? & quãto ma-  
 „ gis ad potioris auctoritatis iudicium tenditur quere-  
 „ la, tanto adhuc amplius maius culmen esse petendum,  
 „ quousque gradatim perueniatur ad eam sedem, cuius  
 „ causa, aut a se, negotiorum meritis exigentibus in me-  
 „ lius commutatur, aut solius Dei sine quaestione refer-  
 „ uatur arbitrio. Quem autem primatem diocefeos san-  
 „ cta Synodus dixerit præter apostoli primi vicarium,  
 „ nullus penitus intelligitur. Ipse enim est primas, qui  
 „ & primus habetur, & summus. Ne vero moueat, quia  
 „ singulari numero diocefeos dictum est, sciendum est,  
 „ quia tantundem valet dixisse primatem diocefeos,  
 „ sicut si dixisset diocefeon. Plenæ sunt enim sanctæ scri-  
 „ pturæ tali forma locutionis. Denique scriptum est,  
 „ Fons ascendebat e terra irrigans vniuersam faciem ter-  
 „ ræ. qui enim non ait, vnus fons ascendebat e terra, sed  
 „ ait,

„ ait, Fons autem ascendebat e terra, pro numero plu-  
 „ rali posuit singularem, vt sic intelligamus, fontes mul-  
 „ tos per vniuersam terram, loca, vel regiones proprias  
 „ irrigantes, sicut dicitur miles, & multi intelliguntur,  
 „ sicut dicta est locusta, & rana in plagis Aegypti. Ita &  
 „ hic diocefim singulariter dixit, propter vnitatem pa-  
 „ cis, & fidei, quã pluraliter intelligi voluit. Haftenus  
 Nicolans, & eius explanatio Canonis noni concilii  
 Calcedonensis, in quo continetur pontificem Roma-  
 num exarchum, siue principem esse vniuersum dioce-  
 feon, id est supra omnes diocefes, ac proinde supra cō-  
 cilium vniuersorum episcoporum. Episcopi enim cum  
 in concilium conueniunt, diocefes suas repræsentant.  
 Eadem sententia de principatu pontificis supra vniuer-  
 sas diocefes repetita est eiusdem Synodi Galcedonen-  
 sis Canone decimosextimo. Mihi certe cū attente con-  
 sidero, magna ratione, & iudicio, admirabilique consi-  
 lio dixisse videtur sancta hæc Synodus numero singula-  
 ri principem diocefeos, etenim si numero multitudinis  
 diocefeon dixisset, videri fortasse poterat pontifex  
 præstare cæteris exarchis, siue episcopis numero tan-  
 tum diocefeon, aut esse quidem princeps singula-  
 rum, sed non vniuersarum copulate, siue simul, vt  
 isti solent cauillari, nunc autem vniuersarum prin-  
 cipem voluit intelligi, veluti vnus diocefos, hoc  
 est, vnus ouilis, ita enim accipiunt veteres docto-  
 res sancti de vna ecclesia, & pontifice vno, illud euan-  
 gelii, fiet vnum ouile, & vnus pastor. Quod necesse  
 est, negent, qui contendunt concilium esse supra Papam,  
 id est, ouile supra pastorem, diocefeon supra episcopum.  
 Ergo cum Synodus Calcedonensis episcopum Roma-  
 num principem diocefeos appellauit, perinde est, atque  
 si appellasset iuxta Euangelium vnus ouilis principem  
 pastorem ita vt si concilium ex cunctis orbis ouilibus,  
 hoc est, diocefebus congregetur, cum cōcilium ipsa

vnum ouile repræsentet, velut vnam diocesem, Syno-  
 dus, quæ sensit, & iudicauit pontificem esse supra diœ-  
 cesem, eadem perfecto iudicauit supra cōcilium orbis  
 existere, hoc est, œcumenicum esse. Qui horum neces-  
 sariam consequentiam non videt, tarditatem suam ac-  
 cuset, vel potius dicam cæcitatem, qua propter perfidiam sponte labore. Præterea in synodo Romana du-  
 centorum octuagintaquatuor episcoporum habita in  
 Thermis Traianis præsentē sanctissimo pōtifice Silue-  
 stro, Canon tertius est, neque præsul summus a quoquā  
 iudicabitur. Et Canon vigesimus. Nemo diiudicat pri-  
 mam sedem, quia omnes sedes a prima sede iustitiam  
 desiderant temperari. neque ab Augusto, neque ab om-  
 ni clero, neque a regibus, neque a populo iudex iudi-  
 cabitur. Et subscripserunt ducētī octuaginta quatuor  
 episcopi, & quadraginta presbyteri, & quinque diaco-  
 ni, & Augustus Constantinus, & mater eius Helena.  
 & fixit canonem hunc Siluester episcopus vr̄bis Ro-  
 mæ, & omnibus episcopis asperxit. Ne autem de hac Sy-  
 nodo dubitent isti, eiusq. decretis, qui, quod nolunt,  
 facile negant, præterquam quod plurima eius synodi  
 exemplaria vetustissima reperiuntur, citat ex ea Syno-  
 do hos duos canones à me supra recitados Nicolaus  
 primus magnæ auctoritatis auctor in ea epistola lon-  
 gissima, quam ad Michaëlem imperatorem scripsit. in  
 qua etiam interpretatur, quod est in altero horum Ca-  
 nonum, id est, in vigesimo, Iudex non iudicabitur,  
 haud dubium (inquit) quin ecclesiasticus, scilicet eccle-  
 siasticum, siue ecclesiæ iudicem appellat pontificē,  
 Quod si hæc explanatio istis non probatur, quia a pon-  
 tifice profecta, etsi hoc scelus sit, tamen permittamus  
 illis dicere, de quo iudice hoc accipi velint. Quid ha-  
 bent quod cauillantur, in clarissimis verbis, quibus Sy-  
 nodus est vsa ad declarandum pontificem. Neque præ-  
 sul (inquit) summus a quoquam iudicabitur. Sane cō-

cilium, quod isti, tanquam in scena, supra Papam intro-  
 ducūt, velut gigantes supra Iouem, de quibus prophe-  
 tauit Apost. Ad fabulas autem conuertentur, Conci-  
 lium inquam, neque præsul est, neque præesse potest om-  
 nibus. Eadem enim Synodus Canone. 20. ita sanxit,  
 „ Nemo diiudicet primam sedem, quia omnes sedes à  
 „ prima iustitiam desiderant temperari. Hæc ergo est,  
 „ quæ cæteris omnibus præest, vt hæc sancta Synodus,  
 „ tanquam Euangelii interpres declarauit. Quod si pon-  
 „ tifex a nullo potest iudicari, eaque est tam aharū, quā  
 „ huius Synodi sententia clarissima, quemadmodum in-  
 „ trodúcere possunt isti concilium ad reformandum ca-  
 „ put, & membra, vt loquuntur, quin iudicet de capite?  
 „ Testatur præterea idem Nicolaus tempore Diocletia-  
 „ ni, & Maximiani, Marcellinum episcopum vr̄bis Ro-  
 „ mæ, qui postea fuit martyr, coactum fuisse a paganis,  
 „ thus incendere, cuius rei gratia (inquit) collecto nu-  
 „ merosorum concilio episcoporum, & inquisitione fa-  
 „ cta, hoc se idem pontifex egisse confessus est, nullus ta-  
 „ men eorum proferre in eum sententiā ausus est, dum  
 „ ei sapissime omnes perhiberent. Tuo ore iudica cau-  
 „ sam tuam, non nostro iudicio. & iterum, Noli (aiunt)  
 „ audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam  
 „ tuam. & rursus, Quoniam ex te (inquiunt) iustifica-  
 „ beris, aut ex ore tuo cōdemnaberis. Et iterum dicunt,  
 „ Prima sedes nō iudicabitur a quoquam. Hactenus Ni-  
 „ colaus. Quæ historia licet in voluminibus conciliorū  
 „ contineatur, malui tamen propter auctoritatem scri-  
 „ ptoris, licet eisdem verbis, ex Nicolao primo recitare  
 „ ne nomen auctoris antiqui, & certi desideraretur. Idē  
 „ etiam in eadem epistola ad Michaëlem testatur, cum  
 „ olim Sixtus pontifex de quibusdam criminibus accusa-  
 „ retur concilio super his accusationibus conuocato, cū  
 „ Valentinianus Augustus interfuisset, decretum fuisse,  
 „ non licere aduersus pontificem pronuciare senten-

tiam, surrexisseque Imperatorē, & eidem cōcessisse se-  
 ipsum iudicare, Itē in tertia Synodo Romana Symma-  
 „ chi Canon tertius est, si cuiuslibet prouincię sacerdo-  
 „ tes intra terminos suos concilio habito, quicquid sine  
 „ metropolitani, suiue antistitis auctoritate tētauerint,  
 „ irritum esse debere patres sancti sanxerunt, quāto ma-  
 „ gis, quod in apostolica sede, non existente præsule, qui  
 „ prerogatiua, & meritis beati Apostoli Petri per vni-  
 „ uersum orbem primatum obtinet sacerdotii, statutis  
 „ Synodalibus consuevit tribuere firmitatem, a laicis, li-  
 „ cet consentiētibus aliquantis episcopis, qui tamen pon-  
 „ tifici, a quo consecrari probantur, præiudicium infer-  
 „ re non potuerunt, præsumptum esse cognoscitur, viri  
 „ bus carere non dubium est, neque posse inter ecclesia-  
 „ stica vllō modo statuta censeri? Ergo si iudicia a Syno-  
 „ dis facta de hac controuersia requirunt isti, vt dicta-  
 „ re solent, cernunt clarissime, quæ sit Synodi huus sen-  
 „ tentia, ac iudicium, scilicet nihil quod sine auctorita-  
 „ te pontificis statuatur, ratum, legitimumque esse. Ad  
 „ hæc idem Nicolaus narrat his verbis, quæ est quarta  
 „ Synodus Romana Symmachi pontificis, cum Theodo-  
 „ ricus hæreseos Arrianæ face pollutus Papam Symma-  
 „ chum vsque ad damnationem multis hunc accusanti-  
 „ bus impetere voluisset, & quotquot potuit ex Ligu-  
 „ ria, Aemilia, Valeria, & ex diuersis regionibus, atque  
 „ de Sicilia insula huius rei gratia episcopos, Romā colli-  
 „ gi præcepisset, & his ad se veniētibus dixisset, plura ad  
 „ se horrenda de actibus Symmachi fuisse perlata, & in  
 „ Synodi oportere si vera esset inimicorum eius obie-  
 „ ctio indicatione constare, memorati pontifices, qui-  
 „ bus allegandi imminebat occasio, suggererūt, ipsum;  
 „ qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuoca-  
 „ re, scientes, quia eius sedi primum Petri Apostoli me-  
 „ ritum, vel principatus, deinde secuta iussione Domini  
 „ conciliorum auctoritas venerandorum, singularem in-

„ ecclesia tradit potestatem, neque antedictæ sedis an-  
 „ titatem minorem subiucisse iudicio. Et rursus, Cau-  
 „ sas (inquiunt) ipsius iudicio esse committendas, qui  
 „ valet corpus occidere, & animam mittere in gehennā,  
 „ qui dicit mihi vindictam, & ego retribuam, apud quē  
 „ conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta.  
 „ Et iterum, Ipsi dicunt, quod dicebatur, maiori iudici  
 „ referuabimus, instruentes eos, non esse ouium lupi in-  
 „ sidias præuidere, sed pastoris. Ad postremum vero cū  
 „ viderent ipsi venerabiles præsules contra caput oues  
 „ manus suas erigere, quidquid de præsentī Symmachi  
 „ sanctissimi actibus delatum fuerat, totum Dei iudicio  
 „ referuarunt, ita vt singuli quique in subscriptione sua  
 „ hoc patenter iudicent, cum dicunt, Laurentius episco-  
 „ pus Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam  
 „ causam Dei iudicio commisimus, subscripsi, similiter  
 „ Petro episcopo Rauennatis ecclesiæ, & cæteris episco-  
 „ pis subscribentibus. Hactenus Nicolaus, Et idem Sym-  
 „ machus in quinta Synodo Romana ducentorum de-  
 „ cem & octo episcoporum hoc decretū concilio approbā-  
 „ te aduersus eos fecit, qui episcopū suum audent accusa-  
 „ re, nō ergo necesse est (inquit) super his noua cude re,  
 „ sed vetera recitare, atque firmare. Est enim a multis an-  
 „ tecessoribus nostris Synodaliter decretum, atque fir-  
 „ matum, vt oues, quæ pastori suo commissæ fuerint,  
 „ eum neque reprehendere, nisi a recta fide exorbitaue-  
 „ rit, præsumant, quoniam pastorum actus gladio oris  
 „ non sunt feriendi, quamquam rite reprehendendi exi-  
 „ stimentur. At isti reformatores non solum reprehē-  
 „ dere, & gladio oris ferire volunt pontificem scandalo  
 „ se viuentem, sed iugulare, ac de medio tollere, meli-  
 „ us se sentire putantes, quam tot, ac tanti tam multo-  
 „ rum conciliorum patres per alia, atque alia tempora  
 „ idem sentientes tanquam eundem spiritum Dei habē-  
 „ tes, qui nobis illisque in scriptura sancta reuelatus est

ab eo, qui, sicut Apostolus ait, vitam illuminauit per Euangelium CHRIS TVS Dominus, de quo Beatus Ioannes, Qui illuminat (inquit) omnem hominem uenientē in hunc mundū. Est præterea decretum, quod Synodi Lateranensis sub Alexandro tertio esse, literis proditū est, In ecclesia inquit Romana aliquid specialiter constituitur, quia non potest ad superiorem haberi recursus &c. Veniamus tandem ad octauam Synodum œcumenicam Constantinopolitanam Adriano secundo pontifice, in qua legatis eius præsentibus decretum est factum, quod quidem vel solum satis istorum temeritatem, & insolens, ac nefarium iudicium condemnat. Cum enim hoc decreto cautum sit, ut si qua extiterit aliquādo de ecclesia Romana controuersia eatur ad sedem apostolicam, & ea cum omni reuerentia consulatur, ac sententiam rogetur, Tantum abest ut isti ecclesiam adeant, consulant, & interrogent, ut etiam cum ea pugnent, & plane aduersus eam decernant. Ut enim superiore libro docui, qui pontifici detrahit, ecclesie detrahit, cuius gloria est, subditam esse pontifici in Domino, ut uxorem viro suo. Hic vero cum eos admonere, imo rogare solemus, ut videant quid de eo iudicatum sit in conciliis, respondere solēt, qui humaniores sunt, nouam esse quæstionem, quare tacitum de ea fuisse ante nostram memoriam. Sed esto nunquam ea quæstio posita fuerit, quæ nunc frequentissima, ac familiarissima est, quid refert, prius ad eam quæstionem responsum fuisse, quam ea posita fuerit, quæ poni aliquando potuit, ut patrum nostrorum memoria, nostrisque temporibus euenisse videmus? Esse autem responsum docuimus supra, tot tantisque Synodis commemoratis. Profecto huius octauæ Synodi tempore, aut quæstio hæc iam tunc ponebatur, aut prophetauit Synodus, fore, quod ad exitum perductum esse videmus, ut aliquando poneretur. Sed possi-

tā esse ab eo tempore nemo sane dubitavit, qui de Photii patriarchæ Constantinopolitani ausu nefario auditum modo habuerit, qui in Adrianum pontificem Romanum ausus est, quod ante eum solus Dioscorus in magnum Leonem, nempe anathemate afficere pontificem, quod vel dictu est horribile, & Ignatio patriarcha sanctissimo viro exturbato, sedē Constantinopolitanam occupare. aduersus quem, missis a pontifice legatis, habita est hæc sancta Synodus, de qua loquimur quæ aduersus istorum, qui concilium esse supra Papā somniant, iudicium temerarium sic cauit canone vigesimo primo, Porro (inquit) si Synodus vniuersalis congregata fuerit, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter ab ea cum conuenienti reuerentia, de opposita quæstione sciscitari, ac sic proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ pontifices, Scilicet quanta sit ecclesie Romanæ auctoritas, & utrum sit alia ecclesia pari, aut maiore auctoritate hæc sancta & œcumenica Synodus octaua, iudicio, & sententia ipsius ecclesie Romanæ standum esse iudicauit. Sententia vero ecclesie Romanæ, id est catholicæ, quæ est omnium ecclesiarum parens, sententia pontificis est mature, & canonice pronunciata, ac decreta, de qua legitima, & canonica sanctione in Synodis pontificis auctoritate confirmatis dubitare non magis licet quam de omnium Christianorum sententia dubitare liceat. Huic enim aduersatur qui illi aduersatur. Quæ vero sit huiusmodi canonica sanctio de auctoritate pontificis cum concilio comparatæ, utrum supra, an infra sit, satis perspici potest vel ex vna, nedum ex tot Synodis a nobis commemoratis, & earum decretis recitatis. Verum his tot, ac tantis, tamque dilucidis conciliorum decretis opponere solent isti Con-

stantienſe, ac Baſileenſe ſancta, & generalia concilia, in quibus quidem legunt, quod defendunt, ſcilicet cōcilium eſſe ſupra Papā, ſed vt video (dicam enim quod ſentio) parum illa quidem attente legunt, aut etiam ſi attente legant, tantum valet eorum opinio præiudicata, qua ad legendum accedunt, vt quicquid in eis legant, ſecum facere falſo putent. Sed niſi ego demonſtrauero, non cum iſtis, ſed nobiſcum potius facere, numerandaque eſſe nobis horum conciliorum de hac re decreta cū ſuperioribus a me recitatis, neque illis iſtis ſuperioribus fidem habeant. Præcipit Auguſtinus in regulis de doctrina Chriſtiana ad intelligendos ſcripturæ ſanctæ locos difficiles, vt cum quid in ſcriptura ſancta planiſſime dictum eſt, illud teneamus, quod ceu explanationem adhibeamus, cum idem obſcurius alio in loco ſcripturæ ſanctæ dicitur, ita vt hoc ad illud tanquam ad regulam dirigamus, ne qua dictorum diſcrepantia eſſe videatur. Hoc idem in cōciliis interpretandis, atque legendis obſeruandum eſſe intelligamus. Neceſſe enim eſt idipſum dicere omnia, aut ſi non dicant, non concilia, ſed ſchiſmata eſſe, aut idem ſecum pugnare, quod eſt fuſioſi, cum concilia omnia ſancta vnum ſint, ſicuti vna eſt eccleſia, quam diuerſis temporibus repræſentant, neque eſſe iam eccleſiam Dei ſed Satanæ, non enim eſt Deus diſſentionis, ſed pacis. Nō licet ſuſpicari ſancta concilia (vt cū Apoſtolo loquar) leuitate uſa eſſe vnquam, aut quæ cogitarunt, & ſenſerunt aliquando ſecundum carnem cogitaſſe, ac ſenſiſſe, ac non potius vnctiōne docente, idem perpetuo prædicatſe, & decreuiſſe, aut vllō tempore in illis fuiſſe, eſt, & non, fidelis autem Deus, quod ſermo illorū non fuit eſt, & non, ſed in illis fuit eſt. Non enim patres cōciliorum cauponati ſunt verbum Dei, ſed fideliter tradiderunt. non enim ſpiritu humano prophetias attulerunt, ſed ſpiritu ſancto aſpirante interpretati, & locuti ſunt,

ti ſunt, quæ ad fidem, & vitam Chriſtianam neceſſaria eſſe videbantur, in quibus quidem ſemper fuit eſt, in aliis verò non neceſſariis diſpenſatio, & œconomia eſt ſecundum ſpiritum quidem, non autem ſecundum carnem, ita vt fuerit in his aliquando eſt, & non, prout vtilitas, & edificatio proximorum poſcere videbatur. Ergo cum ſint tam perſpicua aliorum de hac re, quam tractamus, iudicia, & ſententiæ, quid aliud reliquum erat iſtis, niſi vt crederent hæc duo concilia, quæ tanquam diſcrepantia cum ſuperioribus, nobis opponunt, non illa quidem diſcrepare cum aliis, ſed ipſos potius, quæ admodum illa conuenirent, non intelligere, atque ita aut per ſe diligenter veſtigare, aut ab aliis quærere debuerunt. Docebo ergo (vt dixi) hæc concilia nobiſcum facere, & qua parte non videantur facere, nihil valere, eundemque ſpiritum fuiſſe, qui in illis ſuperioribus, atque his, fidem de auctōritate pontificis ſupra omnia mundi concilia reuelauit. Ergo Synodus Conſtantienſis in quarta, & quinta Seſſione fere ex obediētibus Ioanni vigefimotertio conſtans ſine vlla pontificis, aut vicarii eius approbatione, imo poſt reſeſſum illum clandestinum Ioannis. 23. vt ex ipſis actis colligere licet, ita decreuit, Declarat hæc ſancta Synodus, quod ipſa in ſpiritu ſancto congregata concilium generalis faciens poteſtatem a CHRISTO immediate habet, cui quilibet, cuiuſcūque ſtatus, vel dignitatis, etiā ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in iis, quæ pertinent ad fidem, & ſtirpationem ſchiſmatis, & reformationē eccleſiæ in capite, & membris. Deinde eadem Synodus Conſtantienſis conſtans iam communi concordia ex iis, qui obedierant Ioanni, Gregorio, Benedicō, tribus illis pontificatu eiectis, ipſiſque aſſentientibus, & pace inita, quaſi iam ſanius ſentiens, totam auctōritatem reformationis faciendæ pontifici cum concilio tribuit, Ita enim ait Seſſione quadrageſima. Sacroſan-

» Et generalis Synodus Cōstantiensis in spiritu sancto  
 » legitime congregata, vniuersalem ecclesiam reprēsen-  
 » tās, statuit, & decreuit, quod futurus pōtifex per Dei  
 » gratiam de proximo aflumendus, cum hoc sacro conci-  
 » lio, vel deputandis per singulas nationes, debeat refor-  
 » mare ecclesiam in capite, & membris, &cæt. Non iam  
 addit hæc sacrosancta Synodus potestatem immediate  
 à Deo habens, cui Papa etiam obedire tenetur, &cæt.  
 Sanissime vero sensit creato iam pontifice Martino. v.  
 & cum eo coniuncta. Illud enim decretum, quod info-  
 lenter contra alia concilia, neque præsentē pontifice,  
 neque eius legato, de auctoritate concilii supra ponti-  
 cem factū fuerat Sessione quarta, & quinta, rescissum,  
 damnatumque est ab eodem postea Martino quinto,  
 eodem sacro approbante concilio, vt perspicui potest in  
 Martini bula, in qua sæpe repetitur illud. Sacro appro-  
 bante concilio. Iubetur autem in eadem bula episco-  
 pis, archiepiscopis, & inquisitoribus, vt inter ceteros  
 articulos ibidem scriptos, & inquirendos, atque exa-  
 minandos in suspectis, inquirent, vt rum suspectus cre-  
 dat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fue-  
 rit, eius nomine proprio expresso, sit successor beati  
 Petri supremam habens auctoritatem in ecclesia Dei.  
 Aiebant enim hæretici Ioannes Vvicleff, & Ioannes  
 Hus ab eadem Synodo Constantiensi damnati, non fuisse  
 Petrum caput ecclesie, vt successoribus eius aucto-  
 ritatem derogarent. Sic itaque frequens Synodus Cō-  
 stantiensis mature, & canonice tandem sensit, & iudi-  
 cavit, pontificis sui canonicam auctoritatem secuta,  
 sic (inquam) vt ab aliis conciliis semper iudicatum, de-  
 cretumque fuerat. Contra vero senserat, atque decre-  
 uerat tunc, cum secum dissidebat, cum ex iis fere con-  
 stabat, qui Ioanni. 23. adhærebant, quem postea coegit  
 abire pontificatu, cum (inquam) (neque pontifex, ne-  
 que eius vicarius assensus est. Contra inquam sense-

rat, inquam atque alia superiorum temporum conci-  
 lia, quæ supra commemorauimus. Iudicent nunc isti,  
 vtram eius concilii Constantiensis sententiam tenen-  
 dam esse putet, & vtri eius iudicio maiorem tribuant  
 auctoritatem. Sed, videamus vtrum Synodus Con-  
 stantiensis, quæ cum pontifice canonice iudicauit ha-  
 bere pontificem supremam in ecclesia auctoritatem,  
 eadem tunc quoque iudicauerit, ipsum in concilio su-  
 premam habere auctoritatem, ac supra concilium esse.  
 Certe vtrumque simul iudicasse constat. Siquidem con-  
 cilium vniuersam ecclesiam repræsentat, quod negat  
 nemo, vt cū alii, tum Synodus Romana Martini quin-  
 ti contra Monothelitas habita Canone tertio, & Boni-  
 facius Pont. in epistola ad Rusticū Narbonensem affir-  
 mat. At quid est supremam auctoritatem in concilio  
 habere, nisi supra concilium esse? Supremam enim au-  
 ctoritatem in ecclesia habere, quod totidem verbis Sy-  
 nodus iudicauit, ac decreuit, nonne est toti ecclesie  
 præesse, quod successoribus Petri omnes cōcedunt fi-  
 deles? Sed quemadmodum præesse potest quis vniuer-  
 sa ecclesie super ipsum ædificatæ, si eius auctoritas nō  
 sit supra vniuersam ecclesiam, cui præest? Idem ergo  
 intelligendum est de concilio generali, cui per se, aut  
 vicarios suos præfuit semper, & præesse debet ponti-  
 fex. præesse autem intelligi non potest, nisi supra con-  
 cilium sit. Præterea si supremam auctoritatem in eccle-  
 sia pontifex habet sacro Constantiensi concilio appro-  
 bante, & altera maior auctoritas relinquatur, concilii  
 scilicet vt isti volunt, sequitur, vt ea auctoritas conci-  
 lii, id est ecclesie extra ecclesiam sit. Sed quid hoc mon-  
 stri est? Ita me Deus amet. vt tota istorum cœca opinio  
 repugnantis est plena, quas qui nō viderunt, aut nunc  
 saltem non vident, nō possum iudicare, nisi cœcos eos  
 fuisse, & esse. Opponunt præterea nobis isti concilium  
 Basileense, quod quidem, vt more illorum Syllabas au-



cuper, & vt loqui ipsi solent, verba ponderem, cum solum dicat, & profiteatur renouare se decretum Constantiensis concilii, de auctoritate concilii supra pontificem, id autem irritum fuisse, & nihil valere, supra demonstratum sit, Repugnat enim cum Martini quinti decreto, quod Synodo Constantiensi approbante factum est, tum conciliis superioribus, quæ eadem Synodus approbavit, sequitur neque hanc quidem renouationem sanctionis irritæ ratam esse, vlliusue ponderis. Deinde profitetur Synodus Basileensis renouare se decretum Synodi Constantiensis, sicuti nonnullæ (inquit) Synodi Canones salutare superiorum Synodorum solitæ sunt renouare, at nullæ vnquam sanctæ Synodi decreta prius irrita de iis, quæ ad doctrinam, & vitam Christianam pertinent, quale est hoc, de quo loquimur, renouarunt. Vt iam, si nullam extet exemplum similis renouationis, quod hæc Synodus sequi profitetur, neque ipsa renouatio Constantiensis Canonica sit, neque Canonice renouationis imitatio, sed potius pessima, & vanissima inuentio. Sed recitemus renouationem Sessione .18. Quemadmodum (inquit) nonnulla concilia præcedentium Synodorum salubres institutiones, & declarationes renouare consueuerunt, ita & hæc sancta Synodus necessariam illam declarationem de generalium conciliorum auctoritate in dicto Constantiensi concilio promulgatam sub eodem tenore innouat. Deinde sequitur decretum. In hoc etiã mirabilis Dei prouidentia cernitur, quod iis verbis illi præter suam opinionem, ac voluntatem diuino tamen concilio vsi sunt, quæ (vt isti loqui solent) nullum veritati parerent præiudicium. Deinde decreuit Eugenius .4. flagitantibus Basileensibus, & quidem insolenter, ac minaciter, vt concilium Basileense a se ante dimissum, ac solum redintegraretur, ac continuaretur, scilicet ad extirpandas hæreses, & schismata, ad

pacificationem populi Christiani, & ad communem omnium reformationem, vt iam quidquid ad hæc non pertineat, de eo tractatio, ac cõstitutio nullam habeat auctoritatem, ipsa etiam Synodo approbante. An vero concilium esse supra Papam ad schismata tollenda spectet, & an sit dogma ecclesiasticum, ex scripturæ sanctæ locis libro primo pertractatis & ex conciliis supra recitatis, & sanctorum patrum præiudiciis cognosci potest. Sed recitemus verba ex Sessione .16. Declaramus (inquit) præfatum concilium Basileense a tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse, & esse, prosecutioneque continuari, & prosecutionem habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea. Has vero literas, seu bulam (vt vocant) ipsa Basileensis Synodus ita approbavit. Lectis (inquit) & examinatis diligenter sanctissimi Domini Eugenii .4. literis eadem sancta Synodus decernit, & declarat præfatum Dominum Eugenium per prædictas literas factis fecisse plenarie monitioni, citationi, & requisitionibus huius sacri concilii, ipsasque literas approbat, ac ceptat, & admittit, ratasque habet, & gratas, & sic ab omnibus haberi vult. Præterea decretum hoc, quod isti iactant, fecit Synodus Basileensis absentibus legatis, vt cum exemplaria ipsa testantur, in quibus hoc additum est de absentia legatorum, tum ii, qui interfuerunt. atque idcirco irritum esse vel ex literis constat Martini quinti missis ad legatum suum Iulianum Cardinalem sancti Angeli, confirmatis postea ab Eugenio deinde lectis & approbatis in Basileensi Synodo tunc, cum Sessione .16. approbavit continuationem concilii Basileensis Eugenii, cum Basileensi Martini. Illis enim literis Martinus pontifex mandabat, vt de omnibus, quæ agenda, & tractanda essent, cum concilio concilii ageret, vt iam de quocunque decreto sanciendo non ageret cum concilio, irritum esse, & omni auctoritate



carere necesse sit, quale est decretum, de quo loquimur. Cum enim Basileense concilium Eugenii, cum Basileensi Martini auctoritate pontificis, & ipso concilio approbante continuaretur, nihil erat præter eas literas, seu bulam tentandum continuato concilio, non magis quam nunquam soluto, ac dimisso, cum idem esset, Quæ enim continuantur idem efficiant necesse est. Iam credo, cernitur, quam auctoritatem habeat decretum de auctoritate concilii supra Papam, quod a Constantiensi concilio sessione. 40. improbatum, postea patres Basileenses absente legato pontificis, neque mature, neque canonice renouarunt, immemores, quid paulo ante approbassent, quod cum eo decreto repugnabat, nempe Martini literas ad Iulianum legatum missas. ite immemores, quid Constantinopolitana Synodus octaua canone. 21. decreuisset. Porro (inquit) si Synodus vniuersalis congregata fuerit, & facta etiam de sancta Romanorum ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter, & cum omni reuerentia de opposita questione sciscitari, & solutionem accipere, &c. Ostendant ergo isti, qui Basileense concilium nobis obiiciunt, quando Patres Basileenses sedes apostolica consulta responderit, aut si ostendere non possunt, desinant defendere, ac tenere sceleratum decretum Basileensium de auctoritate concilii supra pontificem, a sancta scriptura, a traditione Patrum, a sententia Pontificum, a sanctionibus conciliorum ab ecclesiastica disciplina, & unitate alienum, quo illi decreto ausi sunt, Basileenses dico, tanquam iudices pontificis, supplicia illi decernere, & lancire, Ita enim statuerunt, Et si concilii statutus non paruerit, condigne poenitentia subiiciatur, & debite puniatur. Hactenus de Basileensi Synodo. De ipsis vero Basileensibus, qui illud fecerunt, si mihi opponant eorum multorum

eruditionem, qua erant excellentissimi, simul etiam sanctitatem, & summum Christianæ vitæ studium, respondebo, quod Vincentius Lirinensis grauis auctor, cuius supra memini, dixit de Photino, Apollinare, atque Origene ingenio, doctrina, atque industria præstantissimis, ex quibus Apollinaris 20. libris eruditissimis cum maxima ecclesiæ utilitate in Ianias Porphyrii confutasse traditur, Origenis vero libros omni eruditione, & miris scripturarum explanationibus refertos ex infinitis aliis, quos composuit, nobis relictos nemo potest sine admiratione legere. Hos ergo ait Lirinensis, eorumque errores tentationem ecclesiæ extitisse, id est tentatos esse per eos ecclesiæ sectatores, ut palam fieret, utrum diligeret Deum, sicuti scriptum est in Deut. » Si surrexerit (inquit) in medio tui propheta, aut qui » somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum, atque » portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit » tibi, Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetae illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus » vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in » toto corde, & in tota anima vestra. Dominum Deum » vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius » custodite, & audite vocem eius, ipsi seruietis, & ipsi » adhærebitis. Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, ut vos auerteret a » Domino Deo vestro. Huiusmodi ergo prophetae fuerunt doctores illi Basileenses, sic enim interdum vocat Apostolus doctores, cum somniarunt concilium esse supra pontificem, id est, cum essent oues, somniarunt se in summum pastorem mutatos esse, aut cum essent pedes, calciatique esse deberent in præparationem Euangelii pacis, prompti ad obediendum veritati, & unitati ecclesiasticæ, somniarunt se repente ex pedibus factos esse caput nudum galea salutis, quæ est re

ctum iudicium, ac concilium, sicut scriptum est in sapientia. Imponet galeam iudicium, quia scilicet non steterunt succincti lumbis in veritate, sed potius cupiditate, & odio corrupti, sensum errore, ac falsitate implicarunt, & iniustitiæ lorica munierunt, qui ut caput & membra, sicuti iactabant, reformarent, vel potius deformarent, necesse erat eisdem desinare esse membra CHRISTI, id est schismaticos esse, vocareque, ut de falsis prophetis scriptum est, ad sequendum Deum alienum, hoc est, ad Schismaticam, & hæreticam illam sententiam. Deus enim non est dissensionis, sed pacis. Nos vero quamuis euenerint, quæ prædixerunt prophetæ illi, doctores inquam Basileenses, sicuti de prophetis illis falsis scripsit Moyses id est, quamuis multa alia iuste, & sancte constituerint, & rata sint, & habeantur, & cum aliis, tum ut audio, in Gallia religiose seruentur quod Leone 10. pontifice Later. Con. auctoritate perfectum est, & Nicolai 5. approbatione, quod vehementer laudo, tamen, si volumus, ut palam fiat, utrum Deum in toto corde diligamus, cauendum est, ne ab illis tentati, ab Euangelii regula, ab ecclesiastica traditione, & priscorum patrum consensu, & communi eorum præiudicio, a sanctissimorum conciliorum auctoritate, & decretis recedamus. Oportet hæreses esse, & schismatum, tanquam bellorum opiniones, ut probati manifesti fiant. At quemadmodum manifesti fient, nisi cum se ostenderint scripturis sanctis, & ecclesiasticis traditionibus adhærere malle & pro eo mille mortes oppetere, quam, ut Apostolus ait, profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ sectari? Cauendum igitur, iterum dicam, ne ab illis aliisque huiusmodi tentati, a veritate fidei recedamus. Prophetas vero illos, aut somniatores non dico periisse, quia scilicet non sunt sic locuti, ut nos a Deo nostro auerterent, quos veniam potius consecutos credo, quia  
ignorantes

ignorantes ficerunt in incredulitate sua de tanta pontificis auctoritate, tamē illud dico, atque affirmo, qui eos adhuc pertinaciter sequi voluerint, post veritatem ab eo tempore occasione illa magis, ac magis illustratam, subuersos esse hos, sicut Apostolus ait, & proprio iudicio damnatos. & idcirco vitandos, quorum malitia damnari potest, inscitia vero, & incredulitas eorum iam excusari non potest. Credo satis demonstratum esse, quod supra promisi, duo concilia, Constantiense, ac Basileense, quæ aduersarii iactare solent, minime cum illis facere, sed nobiscum. De auctoribus vero illius decreti irriti, & ut Græci dicunt, ἀκυρον quid etiam sentirem exposui. Addamus nunc ad illa superiora extremum concilium memoria patrum nostrorum Florentiæ, Eugenio pontifice, habitum, œcumenicum, & sanctissimum, in quo ita decretum est, Dissimulamus sanctam, apostolicam sedem, & Romanum pontificem in vniuersum orbem tenere primatum. An non hoc est decreuisse, pontificem esse supra conciliū? Nam quemadmodum potest supra vniuersum orbem habere principatum, nisi supra concilium sit, præsertim cum concilium cunctum orbem Christianorum, vniuersumque populū credentiū representet, ut isti etiam concedunt? Deinde sequitur in decreto, & ipsum pontificem Romanum diffinimus successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum CHRISTI vicarium, totiusque ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, atque doctorem existere. Quæro, quemadmodum patrem omnium Christianorum, si non oportet filios ei subditos esse, sicut scriptum est, Filii obedite parentibus vestris in Domino? Aut quemadmodum doctorem, si discipuli possunt esse supra magistrum, contra Domini sententiam, ac præceptum, qui voluit, & iussit his verbis, si quando accideret eum progressum facere discipulum, ut de virtute cum præceptore cer-

taret, tamen debere semper meminisse sui ordinis, continereque se intra modum discipuli. Vnde Apostolus sententiam Domini secutus, Seniores (inquit) ne increpaueris, sed cum omni reuerentia obsecra, vt patre. Hunc enim locum explicans Silvester pontifex in decretis Synodi Romanæ se pontifice habitæ, De episcopis ait, hoc dixit. Non est enim discipulus supra magistrum, id est, non debet quisquam ad iniuriam doctorum sibi vindicare doctrinam, neque alia machinatione discipulis, id est, Apostolorum successoribus detrahere, aut eos infamare. Quia iniuria doctorum ad CHRISTVM pertinet. Hactenus ille. Et Iacobus, Nolite (inquit) fieri multi magistri, scientes, quia maius iudicium sumitis. Sed pergamus recitare decretum. Sequitur enim. Atque ipsi in beato Petro ascendenti, regendi, atque gubernandi vniuersalem ecclesiam à Domino nostro IESV CHRISTO plenam potestatem traditam esse. Quomodo verò plenam potestatem, si concilium supra pontificem sit? Aut quomodo pontifex præpositus est à Domino lege diuina vniuersali ecclesie regendæ, si in eum potest populus Christianus, quia turpiter, & scâdalose viuat, quod item potest populus in regem lege humana constitutum, si tyrannus fiat? Eant ergo modo isti, & negent nunquam in concilio œcumenico decretum esse, Papam esse supra concilium, quia non hoc totidem verbis decretum esse legant, quamquam & totidem verbis esse, supra attulimus ex Niceno. Sed esto, non sit totidem verbis sanctum, an non satis est, hoc necessario ex decretis concludit? Alioqui negent in Euangelio, esse spiritum sanctum ex patre, filioque procedere, quia non legunt hoc totidem verbis in Euangelio, & alia huiusmodi non pauca. Sed de conciliis hactenus. Reliquum est, vt hunc librum absoluamus, sanctorum doctorum, tâquam scripturæ sanctæ, huiusque sententiæ de auctoritate pon-

tificis supra concilia omnia, interpretum testimonia producere, pauca illa quidem, quia cum infinita sint & eorum plurima ab aliis citata, cui hæc ab aliis præmissa non facient satis, neque infinita illa fecerint, præsertim cum concilia qui citat, idem multorum doctorum ecclesie testimonia, quibus vtuntur, & quidem maiore auctoritate citer, quoniam concilia ipsa auctoritatem sanctis doctoribus tribuerunt, ac sanxerunt, vt ex quinta Synodo, & Synodo Romana Martini contra Monothelitas habita, & ex sexta perspicui potest. Ergo beatus Ignatius beati Ioannis discipulus in epistola ad Magnesios. Vti CHRISTVS, inquit, absque patre nihil faciat ( id enim significare, A me ipse nihil facio ) sic absque episcopi sententia nihil esse faciendum presbyteris, diaconis, laicis. Et in epistola ad Smyrnenses, episcopum (inquit) sequimini, sicut CHRISTVS Patrem. Et paulo post. Nemo præter episcopum agat quicquam eorum, quæ ad ecclesiam pertinet. Nihil itaque sanctissimus martyr in ecclesiasticis rebus constituendis, aut reformandis, vt isti loquuntur, audere voluit presbyteros ecclesie, nisi auctore episcopo, imo si quid nõ illo auctore, aut approbatore in ecclesia cogitarent scelus committere parasynagoges, aut schismatis, obedientiamque abiicere, de qua multa, & sæpe cũ alias, tum in epistola ad Philadelph. Quare omnia esse illis referenda ad episcopum tanquam ad suum, suorumque conciliorum caput, & pastorem, quo nihil esse potest cum sancta scriptura congruentius. Qui ergo iudicauit, vt ex his, aliisque multis huiusmodi locis perspicui potest, concilium presbyterorum non esse supra episcopum, an non etiam iudicasse videtur, neque concilium episcoporum, neque archiepiscoporum esse supra primum archiepiscopum Romæ Petri principis Apostolorum successorem? Vt enim episcopus præest presbyteris suis, sic pontifex presbyteris, cæterisque epi-

scopis, imo omnibus Christianis. At isti neque intelligentes, sicut Apostolus ait, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, contendere audent cōcilium haberi posse ad constituendas res ecclesiæ inuito pontifice, quod est, cōcilium sacerdotum, & episcoporum supra pontificem esse. Veniamus ad Cyprianum item martyrem nobilissimum, sapiētissimumque magistrū, qui de Cornelio pontifice ad Antonianum scribens, affirmat pontificem ita esse primū episcopum, ut solus sit, neque habeat secundum, scilicet præsentia parem. Minores enim habet infra se, secūdos, tertios, & quartos, ac deinceps. Itaque qui præsentia pontificiæ præstantiam tantam esse iudicavit, scripturæ sanctæ, id est CHRISTI auctoritatē sequens, ut parem ei non relinqueret, quod non caro, & sanguis ei revelavit, sed Dominus per Evangelium suū, quæa immodum maiorem relinquendū esse iudicaret? aut quid præclari habet parē nō habere, qui habeat superiorem? Item si is, qui se secundū faceret, hunc beatus martyr Cyprianus dixit nimis se iactare, plurimū vendicare, profanū esse, alienū esse, foris esse, ecclesiæ unitatē nō tenere, quid dictū fuisse putemus, vel potius quid dixisse, ac iudicasse de eo, qui primū facit? Præterea idē Cyprianus in epistola ad Florētium, ecclesiā (ait) quæ super petrā ædificata est, in episcopo esse, & episcopū in ecclesia, ita, ut qui cū episcopo non sint, cū ecclesia nō sint esse .n. ecclesiā gregem suo pastori adherentem. Cum ergo concilium ecclesiam catholicam repræsentet, quod isti credo, nō negant, sequitur, ut concedant iudicasse Cyprianum, concilium esse in episcopo ecclesiæ catholicæ Romanæ beati Petri principis Apostolorum successore, de quo loquebatur in ea epistola, & vicissim eundem episcopum esse in concilio. Quare qui se a pontifice separat, extra concilium est, quamquam se iactet, & appellet concilium, & extra ecclesiam est, quamquam se pu-

tet ecclesiam repræsentare. Denique extra gregem est, cum se à pastore separat. Ridiculum verò est existimare concilium sine auctoritate pontificis, imo eo inuito congregatum, non separari a pontifice. Quid .n. aliud est adhærere pontifici, quam ei obedire? Quare concilium istud, quod supra Papam esse iactant, non concilium est, sed schisma. Sed proferamus iam Basilii magni de hac re præiudicium, quod ita magnū, evidensq. est, ut vel solo hoc posset tota hæc lis decerni, tametsi (ut verum fateamur) in vno Basilio multorum præiudicia afferam, primum Athanasii Alexandrini, ad quē epistolam scripsit, ex qua mox sententiam recitabo, de indē eorum episcoporum, quibus visum esse ait, & libi, scribere de hoc ad pontificē, tum præceptorū ac cōdiscipulorum, & æqualium eius, qui quales, quāti que fuerint, aut non ignorant isti, aut scire facile possunt. Quis enim credat aliter illos in re tam graui, ac tanti momēti sensisse, ex qua ecclesiasticarum rerū in oriēte constitutio, & hæresum dānatio, ac profligatio pende-  
bat? Recitabo itaq. Græce, ne si latine tantū verterō, minus fortasse dicā, aut plus dixisse existimer, Εφάνη, inquit, ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπισεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ ξάμην ἐπισκίφασαι τῶ  
ἀταύθα, καὶ δοῦναι γνώμην, ἵνα ἐπειδὴ ἀπὸ κοινῆς καὶ σωστικῆς ἀπο-  
γματοσ ἀποσαλῆναι ἕνασ ἀνσκολον ἦν ἐκείθην, αὐτὸν αὐθὺν τῆσ  
πῶδι τὸ πρῶγμα, ἐκλεξάμενον ἀνδρασ ἱκανῶσ μὲν ὁδοπορίασ πόνουσ  
διηγεῖν. ἱκανῶσ δὲ πρῶτην καὶ ἀπεινά ἦθουσ ἕξ ἀσικασρόφοισ ἦν  
πρὸ ἡμῖν νοθετῆσ ἀδιτηθείωσ ἢ καὶ οἰκονομικῶσ κερρημένοισ τῶ λό-  
γω καὶ πάντῃ ἔχοντῃσ μὲ ἕνασ τῶσ ἐν ἀριμίνῳ πεπραγμένα ἀδὶ λυ-  
σει τῶσ κατὰ ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων, καὶ τοῦτο μηδενὸσ εἰδῶτοσ ἀ-  
φοφῆν ἢ δεξῆ θαλάσσησ ἐπισῆναι τοῖσ ἀσικασ πῶδι τῶσ ἀθῆσιν ἦ  
ἔχθρῶν τῶ εἰρήνησ, visum est inquit consentaneum, scribere ad episcopum Romanum ut videat res nostras iudiciumque suum interponat, ut quia difficile ac periculosum est aliquos illic communi multorum sententia ac Synodi decreto mittere, ipse auctoritatem

rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre possint lenitate vero, ac facilitate morum, tū commoda, & prudenti oratione, eos, qui apud nos a veritate deflexerunt, monere, quique acta Ariminensis concilii secum ferant, ad rescindendum ea, quæ illic per vim gesta sunt, atque illi quidem clam, nemine cōscio, sine vlllo strepitu taciti prius huc adnauigent, quā hostes pacis præsentire queant. deinde, καὶ πάντες ἔχουσιν μὲν ἰσότητά τε καὶ ἀριμύθῳ περιτροχίαν ἀδελφίστοις. Haetenus ille cum omnem auctoritatē a pontifice requirat magnus Basilius ad habendum concilium aduersus Arianos, damnandamque eorum hæresim, tanquam in eo iudicio Synodus canonica, cui scilicet per legatos suos pontifex præesset, iam neque errare posset, neque auctoritate carere, quis dubitare potest, vtrum idem iudicari Papam esse supra concilium? Ex eo vero magis adhuc perspici potest auctoritatis pontificiæ supra omnem Synodum amplitudo, & præstātia, quod Basilius cum aliis episcopis a pontifice petendum esse iudicarunt, vt mitteret viros, qui secum ferrent acta Ariminensis concilii, quamquam nefarii, & Arianici ad rescindendum ea. Neque enim visum est illis satis, quod eorum esset Ariminense concilium, qui, sicut Apostolus ait, suo proprio iudicio essent cōdemnati, neque quod eorum scelerata sententia auctoritate quoque concilii Niceni damnata fuisset prius, nisi eius imprimis auctoritas accederet, in quo conciliorum, & ecclesiasticarū constitutionum, & rerum omnis ἀδελφία id est auctoritas summa resideret. Chrysostomus vero sanctissimus vir, & in scripturis sanctis exercitissimus in libro contra Iudæos sexto, & secūdo de Sacerdotio. Petrus (inquit) princeps Apostolorum, cui totus orbis commissus est, &c. Ergo concilium, quæ est maxima, & excellentissima orbis pars, imo quod catholicam ecclesiam representat, commissum est Petro, ac successio

ribus eius, scilicet vt præsit, non vt subsit, vt moderetur, & iudicet, non autem vt iudicetur. An qui dixit orbem commissum Petro, id est, ἐγγραμμῶς quasi in manus traditum, vt præesset, non similiter dicturum fuisse putamus, si ita caderet, concilium commissum fuisse Petro, aut si non ita, age dicamus Petrum commissum esse orbi, & pontificem concilio. Sed quis sic loquitur, aut sentit? Certe nemo. Fateamur ergo cum beato Chrysostomo cunctum orbem commissum esse Petro, id est, credamus catholicam ecclesiam ædificatā esse super eum. Idem enim valet vtrumque horum, vt hic auctor interpretari videtur. Quare concilii ædificatio, ac firmatio super pontificem, ceu super fundamentum fiat necesse est, ita vt vbi desit pontificis auctoritas, nullum ibi sit firmiter ædificatum concilium, quia scilicet non sit aliquis, cui commissum sit, vt præsit, & moderetur. Sed videamus iam, quid pater Hieronymus sanctissimus, ac sapientissimus ecclesiæ catholicæ doctor de re hac senserit, is. n. in quibusdam Psalmorū Commentariis, ex quibus plurimi Arnobii quidē esse falsa inscriptione feruntur, esse autem eos cū reliquis, qui in eo libro desunt Hieronymi omnes, probāt peruetusta exemplaria manu scripta, stilus, multa allegoria, Hebraica & Græca eruditio, collatio translationū, deinde citatio suarum quæstionum Hebraicarū Psal. 15. ergo is disputās aduersus Nouatianos. dicis, inquit, baptizatis pœnitentibus nō debere succurri, ecce apostolo pœnitenti succurritur qui est episcoporum episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quod si episcoporū episcopus est, & eius gradus maior est, præest ergo singulis eorum, & eorum omnium concilio, nisi sic putant, vt sit in ludo, aut palæstra vt singulos quidē superare possit, qui omnium vires iunctas non possit, etsi eius gradus maior est, ergo Hieronymi sententia supra gradum auctoritatis huiusmodi concilii est, nisi

fortasse somniant aliquem, qui supra testū scanderit, qui habeat singulōs gradus parietis infra se, non tamē omnes docet autem hic sanctus auctor gradus Petri supra singulos, & singulorum omnium episcoporum cōcilium excellentiam, ac præstantiam, quia inquit nullus Apostolorum, imo neque collegium Apostolorū præter Petrum, nomen pastoris accepit, solus. n. Dominus Iesus dicebat ego sum pastor bonus, & iterum, me sequuntur, inquit, oves meæ, hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionē suam Petro poenitenti concessit, & ter negatus negatori tuo hanc quam solus habuit potestatem &c. scilicet soli Petro specialiter dictum est pascue oves meas, ceteris vero pastoribus spiritualibus cōmuniter per Petrū. Præterea magnus Cyrillus Alexandrinus in Thesauris, recitabo autem Græce, quo maior fides habeatur,

» *Αὐτὸς* inquit *ἡμᾶς ὡς μέλη ἐμένειν τῆ κεφαλῆ ἡμῶν τῷ ἁγίῳ ῥώμῃ ἀρ*  
 » *χιεῖ καὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ ἀφ' οὗ ἡ ἐκτετακται ἐκ τῆς ἁπλῆς ἔπι*  
 » *καὶ ἡ ἀποστολικῆς ἐκτετακται καὶ κρατεῖν ὅτι αὐτῷ μόνῳ ἐπιτέλεσται, ὡς*  
 » *ἀποστολὴν, ἡ ἐπιτετακται, ἀποστολικῆς ἐκτετακται, καὶ ἀποστολικῆς* debe-

mus inquit nos, ut qui mēbra simus, capiti nostro pōtiffici Romano, & apostolicæ sedi adherere. ad nos pertinet, inde quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere, quoniam solum pontificis sit arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere, solvere, & ligare. quid igitur reliquum fecit pater Cyrillus, quod isti concilio suo tribuant, quod supra pontificem ponunt? quemadmodum poterit eum accusatorie reprehendere, & reformare, cuius est ceteros omnes & concilia omnia iudicare, corrigere, firmare, disponere, solvere, & ligare, dimittere, & congregare? Veniamus ad Vincētium Lirinensē virum in scriptura sancta, & traditionum ecclesiasticarum doctissima peritissimum, qui Ephesinæ Synodi temporibus floruit, cuius eo maior in hac causa haberi debet præiudicii

dicii auctoritas, quod de pontificis auctoritate in eo libro suam scripsit sententiam, quem ille illis temporibus aduersus profanas verborū, & sententiarū nonitates edidit, in quo libro duas normas propositas esse ait, ad quas veritas omnis exigenda, & limāda sit, scilicet scripturas sacras, & ecclesiasticas traditiones, esse autē in ecclesiasticarum traditionū doctrina spectandam vniuersitatem, antiquitatem, & consensionem, quæ ille omnia exemplis illustrat copiose, & docte. Qui ergo hæc libri sui fundamenta iecerat, idē paulo post, quid de auctoritate pontificis supra omnia mundi concilia iudicari, satis tardus sit, qui ex paucis eius verbis, quæ ibi de Stephano Papa scripta reliquit, non intelligat,

» Tunc inquit, (Loquitur autē de illa baptisimi in Africa iteratione) beatæ memoriæ Stephanus, apostolicæ sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum (ut opinor) existimans, si reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat, &cæt.

Quid clarius? Collegas appellauit coepiscopos, esse autem maiorem Stephani pontificis auctoritatem, quam Synodi episcoporum, de cuius synodi sententia literas ad Africam misit, planius dicere non potuit hic auctor. Addam postremo loco beati Bernardi Clareuallensis de auctoritate pontificis supra omnia mundi concilia testimonium, cuius viri sanctitas, iudicii grauitas, & eruditio orbi sunt notissimæ, qui trecentis annis, & amplius Basileensium tempora antecessit, cum natum est hoc monstrum, insana (inquam) istorum opinio, qui concilium supra Papam, id est reliquum corpus supra caput ponunt. ergo is in libris illis sanctissimis, quos de Consideratione ad Eugenium, & sub eius nomine ad cæteros omnes pontifices deinceps postea consecutos, & consecuturos scripsit, ita in secundo libro ait, Neque modo ouium, sed & pastorum tu

L

„ vnus omnium pastor. vnde id probem, quæris, ex ver-  
 „ bis Domini. Cui enim non dico episcopo, sed etiam  
 „ apostolo sic absolute, & indiscrete cunctæ commissæ  
 „ sunt oues? Oues meas, inquit. Cui non planum, non  
 „ designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipi-  
 „ tur, vbi nihil distinguitur. Ergo ne concilium quidem  
 „ pater Bernardus excipiendum esse iudicauit. Et paulo  
 „ post, Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua  
 „ extenditur & in ipsos, qui super alios potestatem acce-  
 „ perunt. Ergo & in concilium extenditur. Quid enim  
 „ aliud est concilium, quam multi episcopi, & multi alii  
 „ ex alio, atque alio ordine? Item libro tertio de confy-  
 „ deratione eorum, quæ sunt sub potestate pontificis, Si-  
 „ cut Seraphim (inquit) & Cherubim, vsque ad Ange-  
 „ los, & Archangelos sub vno capite Deo ordinantur,  
 „ ita sub vno summo pontifice primates, vel patriarchæ,  
 „ archiepiscopi, presbyteri, & abbates. Ergo & horum  
 „ cœtus, quod concilium appellamus, sub pontifice tan-  
 „ quam sub capite est. Et paulo post, Orbe (inquit) exeun-  
 „ dum est ei, qui fortasse velit explorare, quæ non ad tu-  
 „ am Eugeni pertinent curam. Ergo omnis concilii mo-  
 „ deratio ad curam pontificis pertinet. Quemadmodum  
 „ vero pertineat, nisi eius cōgregandi, dimittendi, tem-  
 „ perandi, confirmandi potestatem habeat? Aut quomo-  
 „ do huiusmodi potestatem habere potest, si in-  
 „ fra concilium sit? Exeant ergo, si non  
 „ orbe quidem, vt Bernardus  
 „ ait, at ecclesia exeant,  
 „ eiectione inde, qui-  
 „ cunque  
 „ non ad curam pontificis pertinere volunt con-  
 „ cilium, sed potius ad curam concilii  
 „ pontificem.

## LIBER TERTIVS.



Satis me secundo libro demonstrasse  
 arbitror conciliorum de auctoritate  
 pontificis supra concilia ipsa senten-  
 tiam, quemadmodum cum iis, quæ pri-  
 mo libro ex scripturis sanctis de pon-  
 tificis principatu, & præsentia attu-  
 limus, mirifice illa quidem conueni-  
 rent. Nicenum dico, Sardicense, Calcedonense, quin-  
 que Romanas Synodos, octauum Constantinopolita-  
 num, Florentinumque concilium, tum duo illa Con-  
 stantiense, ac Basileense, quibus nos isti, vt sibi videbā-  
 tur, oppugnabant, ostendimus nō nobiscum pugnare,  
 sed adiuuare potius. Deinde pauca quedā sanctorū do-  
 ctorū Ignatii, Cypriani, Basili, Chrystostomi, Hiero-  
 nymi, Cyrilli & aliorū testimonia produximus ad idē  
 probandum. Reliquum est, vt ad rationes istorum fal-  
 sas, ac captiones mendosas, & vt Apostolus ait, oppo-  
 sitiones falsi nominis scientiæ, quas in principio pri-  
 mi libri collocauimus, vt quæ deinceps tractanda  
 erant, attentius legerentur, respondeamus, ne per ina-  
 nem fallaciam incauti decipiantur, idque quanto pla-  
 nius, & scripturis sanctis conuenientius facere possi-  
 mus, ita vt plus fructus, & facilitatis, quā spinosæ, &  
 importunæ subtilitatis habeat respōsio. Explicabimus  
 interim quæstiones aliquas nō paruas de remediis ad-  
 hibendis, cum accidit pessime pontificatum geri. Item  
 vtrum in iudiciis faciendis pontifex errare possit, &  
 quando non possit, aliaque huiusmodi non pauca, ne-  
 que parum utilia. Aggrediamur ergo ordine, ac pri-  
 mum quidem ad illud ex Euangelio. Si eos non audie-  
 rit, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non auerit, sit ti-  
 bi sicut ethnicus, & publicanus, qui locus copiosus est  
 a nobis explicandus, principio altius repetito. Dixerat



» supra aduersus scandala, Qui autem scandalizauerit  
 » vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt  
 » suspédatur mola asinaria in collo eius, & demergatur  
 » in profundum maris, Væ mundo ab scandalis. Et paulo post, Væ homini illi, per quem scandalum venit. Perinde, atque præciperet, vt non solum non essemus auctores scandalorum, sed neque eos, qui scandalis alios afficiunt, laudaremus, aut sequeremur, quin potius miseros eos prædicaremus, ac fugeremus, quod eorum amicitia, & cõsuetudo paulatim ad imitationem adducere soleat. Deinde ne quis diceret, quid si amicus sit, aut propinquus, & cõmodus mihi? Respondet, quod quamuis sit amicus, & charissimus, ita vt pro oculo eum habeas, qui multa etiam tibi bona, & utilia prospiciat, & quam vis propinquus sit, ac consanguineus, sitque adiutor tuus in multis, ita vt vtraque harum ratione locum manus teneat. Item quamuis is sit, per quem totius vitæ via tibi expediatur, fiatque facilis, ac plana, vt vicem pedis habeat, quicunque denique sit, si scandalorum auctor sit, remouendus est, neque cum eo versandum. Quod si eos, qui sic utiles sunt, tamen propter scandala, & animæ nocumeta sunt vitandi, quãto magis erunt ii, qui sine vlla utilitate vitæ humanæ, animæ incommodant? Postquam vero reos egit auctores scandalorum, quique in fratres peccant, conuertit sermonem ad eos, qui se putant magna ab illis iniuria affectos. Perinde atque diceretur, Tu vero ne moleste feras, neque peccatum proximi in te commissum, dånum existimes, quod quidem potes in magnũ lucrum vertere, scilicet, si adieris eum, qui in te peccauit, ostenderisque peccatum, & argueris. Plerique. n. cum peccant non vident turpitudinem facti, postea vero, cõ arguuntur, velut iam pulsã cæcitate, ac tenebris, vident. Sicut Apostolus ait, omnia, quæ arguuntur, a lumine manifestantur, & paruam hanc occasionem

nacti, sæpe, quod commiserunt, corrigunt. Quod si duriusculus, difficiliorque ad emendationem sit, ne continuo negligas ire ad eum, imo semel, iterum, & tertio adi, & prouoca ad emédationem, Magnum enim quantum feceris, si seruator, liberatorque fratris fueris, sicut scriptum est. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorũ. Hastenus ex Photii in Euãgelia scholiis. De huiusmodi ergo peccatis, & querelis ad concordiam, emendationem, & veniam vicissim inter fratres manifestandis, agnoscendis, & corrigendis, de quibus est (vt existimo) canon ille Apostoli  
 » carum diataxon accipiendus, Qui inter se (inquit) ex  
 » postulationes, querelasque habent, sextis feriis eas vicissim inter se manifestent. & fortassè quod diaconus in missa Græcorum repetit, Agnoscite inter vos, culpas scilicet, & noxas, vt, si quid habet frater aduersus alterum, recõcilietur ei, de his in quam, ait Dominus. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solũ, & si te non audierit, id est, si tibi non agnouerit culpam suam, ac peccatum suum, prouoca eum, vt agnoscat, ac corrigat, adhibens vt dixi testes, vnum, aut duos, quod valet ad testificandum admonitionis tuæ veritatem, & integritatem, & vt ille pudore retrahatur, ac reuocetur a peccato. Atque hæc quidem sit prima admonitio publica. Quod si ne sic quidem culpam agnoscere voluerit, & veniã a Deo hoc modo, & ratione impetrare, dic inquit, ecclesiæ, quæ est secunda admonitio publica, id est, non iam duos testes adhibe, sed denuncia ecclesiæ, aut per te, si potestatem habes soluendi, atque ligandi, aut per eum, qui habet, si tu non habes, denuncia inquam ecclesiæ, vt si ne sic quidem culpam agnoscere voluerit, & emendare, ac corrigere, quod peccauit, eiiciatur ex ea, ita scilicet vt congregata ecclesia cum spiritu habetis potestatem legan

di, atque soluendi, tollatur malum de medio vestri. Id enim significat illud, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus, quod quidem interpretatus Apostolus, si quis inquit, frater nominatus auarus, aut idolis feruies, id est, publicanus, aut ethnicus, cum huiusmodi neque cibum fumere. Hanc formam seruauit Paulus in Corinthio illo ex ecclesia eiiciendo. Congregatis (inquit) vobis, id est, ecclesia Corinthiorum, & spiritu meo cum virtute Domini nostri IESU CHRISTI, decreui huiusmodi hominem, &c. Et cum absoluit eundem iam acta poenitentia. Cui vos (inquit) id est, ecclesia Corinthiorum donastis aliquid, & ego. Sic quoque interpretatus est hunc locum Innocentius primus in epistola ad episcopos Macedonie. C. 6. de Photino, absoluedo, & restituendo, episcopum inquit Photinum habetote, & paulo post, cui inquit porrigitis manum, porrigo, cui porrigo, mecum porrigite. haec enim ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, vt in vno spiritu sententiam boni semper sequantur. Similiter Cyprianus de lapsis restituendis in ecclesia nihil audebat decernere absque consensu presbyterorum, & sententia plebis, id est, absque ecclesia, vt ipse in epistolis suis testatur, vt sic scilicet pax, & concordia, atque obedientia seruaretur. Et Apostolus episcopo praecipit, ne sit superbus, Graece est, *αὐθάδης*, id est, ne ecclesiae suae consilium superbe detrectet. Ita. n. interpretatur Chrysofomus in libro de Sacerdotio. Multa quoque Ignatius scripsit ad hanc sententiam confirmandam, vt libro superiore admonui, in quo vtina nostra hac aetate nullus episcopus peccaret, & quidem saepe cum plurimorum scandalo, sicque essent omnes, vt debent, de concordia, & pace ecclesiastica solliciti, vt suos presbyteros, ac reliquam ecclesiam cum spiritu suo in Christo prius congregarent, siue aliquem ex ecclesia eiicere vellent, siue restituere. & rursus presbyteri

cum plebe, vt Innocentii verbis vtar, cui episcopus manum porrigit, manum porrigerent, episcopum suum tamquam patrem sequentes, sic fortasse fieret, ne tot illis cum capitulis, vt vocant, discordiae & lites essent. Patere iam credo, quemadmodum nihil ex hoc loco euangelii aduersus nos isti concludant, errareque eos, qui interpretantur, dic ecclesiae, tanquam maiore auctoritate praeditae, qua quidem non audita, sit aliquis habendus ethnicus, & publicanus. qui similiter interpretari possunt, vnum, aut duos illos testes adhibendos, si Petrus ipse non audiat, eadem ratione maioris auctoritatis, atque potestatis esse, errare etiam, qui ex nostris interpretantur, dic ecclesiae, id est praelatis ecclesiae. Cum enim non haec ad tempus Petro praeciperentur, & per eum ceteris aliis, sed potius vt semper conuenire, atque congruere possent, futurumque esset, vt Petrus pontifex fieret, vt ei Dominus promiserat, idemque habiturus esset successores in pontificatu vsque ad consummationem seculi, sequitur, vt neque ipse iam factus pastor omnium, ac proinde nullum habens praelatum, neque eius successor, quicquam posset vnquam dicere ecclesiae suae, id est, praelatis suis, quos non habet, aut si dicat ecclesiae, alienae dicendum esse, vt qui est ecclesiae Mediolanensis, si quid habet aduersus fratrem Neapolitanum, vt dicat ecclesiae Neapolitanae. Neque hoc tamen semper ita accidit, & si accidat aliquando, necesse fuerit hac ratione sedem apostolicam minoris auctoritatis esse, quam quaeuis ecclesia priuata, cui dicendum sit, vt Capuana, aut Beneuetana. Quod enim ipse etiam pontifex dicat ecclesiae, priusquam aliquis tanquam ethnicus, & publicanus habendus sit, id est, antequam eiiciatur ex ecclesia, satis docet ipsa consuetudo ecclesiastica excommunicandi, lectis prius in ecclesia literis, vt vocant, monitoriis, siue denunciatoriis. Sequitur deinde, vt respondeamus ad illud ex actis

- Apostolorum, cum Apostoli, in quibus erat Petrus Apo-  
 - stolorum princeps, & seniores, siue presbyteri, in eo  
 - decreto, quod ad fratres ex gentibus miserunt. Non  
 - inquit, visum est spiritui sancto, & Petro principi  
 - nostro, sed, visum est spiritui sancto, & nobis, id est,  
 - ecclesie, tanquam ea prestaret auctoritate. Nō potuit  
 profecto aliter dici melius ad declarandam concilii ma-  
 turitatem, & consensum, ac concordiam in decreto  
 faciendo, quam si diceretur, visum est nobis. Quam lo-  
 quendi formam deinceps consecutis temporibus imi-  
 tati sunt patres, cum inquit, Decreuit sancta Syno-  
 dus, & visum est Synodo, Perinde atque dicerent, Vi-  
 sum est nobis, In quibus quidem pontifex numeratur  
 imprimis tanquam caput, ita ut reliqui sint cōsiliarii,  
 & adiutores iudicii. Pontifex vero, aut qui locum eius  
 tenet, tanquam summus iudex, qui de rebus, & causis  
 maioribus, solus, neque legitime, canonicęque possit,  
 neque debeat decernere, ac iudicare, ut ex Gelasio  
 quem supra memini, intelligi potest, Recte ergo ad de-  
 clarandam huiusmodi maturitatem iudicii, sententia-  
 rumque concordiam sic loquuntur. Sed recitabo ite-  
 rum verba Gelasii ex tomo de vinculo anathematis.  
 Loquens enim de absolutione Petri Alexandrini hæ-  
 retici, quæ fingebatur facta esse a pontifice, Præcessit  
 (inquit) assensus pontificis, doceatur a quibus, & ubi  
 22 ille sit gestus, si secundum ecclesie regulam celebratus,  
 23 si paterna traditione profectus, si maiorum more pro-  
 24 latus, si cōpetenti examinatione depromptus. Vbi pro-  
 25 culdubio requirendum est, si Synodali congregatione  
 celebratus, quod in receptione dānati, & expulsionem  
 26 catholici, quia noua causa est, fieri certissimū est. Quæ  
 quidem maturitas iudicii canonici, cum est, tunc neq-  
 errat pontifex, neque credo errare potest, in iis dico,  
 quæ ad vitam Christianam pertinent, ut paulo post co-  
 piosius docebimus. Quare quod aiunt, qui de hoc scri-  
 pserunt,

pserunt, posse quidem pontificem errare errore perso-  
 nali, sed non iudiciali, sic est accipiendum, posse quidē  
 errare iudicio priuato, sed non iudicio mature, legiti-  
 me, & canonicę cum aliis habito. Quare literas Hono-  
 rii pontificis ad Sergium monothelitam de vnica vo-  
 luntate CHRISTI, quæ erat monothelitarum hære-  
 sis, priuatas fuisse credendum est, non publicas, id est,  
 non de concilii fratrum sententia scriptas, ut esse debe-  
 bant. Ut enim cum alii patres, tum beatus Chrylōsto-  
 mus in libris de Sacerdotio ait, nihil debere episcopū  
 agere, scilicet in maioribus rebus, & causis, absque sen-  
 tentia suorum presbyterorum, vnde Ignatius in epi-  
 stola ad Trallianos, consiliarios, & confessores episco-  
 pi appellat presbyteros, sic dicere liceat, non debere  
 pōtificem quicquam graue, & magnum agere absque  
 sententia, & concilio saltem collegii Cardinalium,  
 quod quidem collegium Cyprianus, cum de legitima  
 electione Cornelii loquitur in quarto libro epistola-  
 rum post commemorationem iudicii clericorum, &  
 testimonii plebis, vocare mihi videtur collegium anti-  
 quorum Sacerdotum, id est seniorum, qui cum pontifi-  
 ce onus sustinent, sicuti. 70. illi Seniores cum Moise su-  
 stinebant ab eodem Moise iussu Dei delecti, & sicut  
 presbyteri cum episcopo sustinent Ex his etiam per-  
 spici potest, quid ad illud responderi debeat, quod ex  
 - actis quoque obiiciunt isti, scilicet missum esse Petrū,  
 - & Ioannem ab Apostolis in Samariam, ex quo mini-  
 - strum ecclesie illum esse cōcludunt, quare infra eccle-  
 - siam. Scilicet significauit his verbis auctor historie Lu-  
 cas, non fuisse Petrum cum Ioanne profectum in Sa-  
 mariam sua tantum sententia, & iudicio, sed cetero-  
 rum quoque Apostolorum, sicut cum Christus ait mis-  
 sum se esse a patre, significat non se esse solum, neque  
 agere quicquam absque patris sententia. Id enim signi-  
 ficat illud, a me ipso facio nihil. Sequitur ordine respō-

- dere ad illam rationem, quæ primo aspectu difficilior  
 - esse videtur, quemadmodum scilicet non sit pontifex  
 - infra ecclesiam, cum possit hæreticus fieri? non autem  
 - statim, vt est hæreticus, vitandus sit, Sicuti scriptum est,  
 - Hæreticum hominem post vnam, & secundam admo-  
 - nitionem deuita, vt vero vitetur, necesse sit priuare  
 - eum pontificatu, quod vocant deponere. At id perfici  
 - non possit, nisi cum pontifice, velut cum reo agatur ex  
 - lege, ex quo rursus sequatur, esse eum infra auctorita-  
 - tem ecclesiæ, tanquam iudicis. Hæreticum hominem  
 - (ait Apostolus) post primam, & secundam admonitio-  
 - nem deuita. Quod quemadmodum intelligendum sit,  
 - vt sanctus Maximus in scholiis Dionysii Areop. anno-  
 - tauit, ex iis, quæ sequuntur, intelligitur, tunc scilicet  
 - post primam, & secundam admonitionem esse vitan-  
 - dum, cum iam videmus huiusmodi hominem subuer-  
 - sum esse, & suo iudicio damnatum. Tunc enim hære-  
 - ticus est, cum pertinaciter tenet peruersam sententiã,  
 - & iudicio suo cõdemnatus est, id est, vt magnus Atha-  
 - nadius interpretatur in epistola ad Serapionem, quan-  
 - do neque parere, cum audierit, neque respiscere, cum  
 - didicerit, paratus est, sollicitus tantum, ne ab iis, quos  
 - in errorem induxit, condemnetur, si tacuerit, Tunc  
 - inquam hæreticus est, quem iam tunc post primam, &  
 - secundam admonitionem vitare oporteat, vtpote cui-  
 - us iam fides omnino deficiat, quia nolit conuerti.  
 - Quod si talis non sit, non est desistendum ab eius ad-  
 - monitione vsque ad finem vitæ, vt ait Dionysius Areo-  
 - pagita in epistola ad Demophilum, quod nonnulli fal-  
 - so putabant, vt idem sanctus Maximus annotauit, cum  
 - eo, quod Apostolus ait de hæretico vitando pugnare.  
 - Statim igitur, vt Papa hoc modo est hæreticus, si ita po-  
 - namus, definit esse pontifex, quoniam cum fides eius  
 - deficiat, non iam existit prima petra, ac fundamentum  
 - ecclesiæ, qui tanquam infidelis, ab omnibus iam fideli

bus conuincitur, ab omnibus diiudicatur, vt Aposto-  
 - lus ait, Facta vero vna, & altera admonitione, velut  
 - quadam denunciatione, deinceps tanquam iam decla-  
 - ratus hæreticus, vitandus est, non quidem quod tunc  
 - primum desinat esse pontifex, qui iam deserit esse pe-  
 - tra, fide eius omnino deficiente, sed quod iam tunc eii-  
 - ciatur ex ecclesia, in qua adhuc videbatur esse, ante-  
 - quam esset declaratus hæreticus. Quicquid ergo cum  
 - pontifice agitur, qui in fide errarit, quamdiu non est  
 - subuersus, vt ait Apostolus, & proprio iudicio da-  
 - mnatus, id est, paratus est parere, cum audierit, &  
 - respiscere, cum didicerit, Non agitur tanquam cum  
 - reo, sed tanquam cum patrefamilias, & iudice sum-  
 - mo in terris, cum omni reuerentia, sicut scriptum  
 - est, Seniore[m] ne increpaueris, sed obsecra vt patrem,  
 - Non itaque vocatur tunc in iudicium, sed rogatur, vt  
 - maturius videat, non iudicatur, sed admonetur, non  
 - damnatur, sed resistitur ei in faciem, quia reprehensibi-  
 - lis esse videatur, atque hoc quidem, quia non desinit  
 - esse pontifex, quamdiu fides eius non deficit. Non au-  
 - tem deficere fides dicitur, quamdiu qui fidem negat,  
 - conuerti vult, sed tunc, cum conuerti recusat pertina-  
 - citer. Quare non potest is amplius tanquam petra fir-  
 - mare ecclesiam, eiusque esse fundamētum, nisi conuer-  
 - sus, vt supra explanauimus. Hoc autem docuit Domi-  
 - nus in Petro, cuius quidem fides non defecit, quamuis  
 - ter negarit, quia scilicet vsque adeo paratus erat con-  
 - uerti, qui propter infirmitatem carnis negarat, alio-  
 - qui spiritu promptus, vt bis tantum galli gallinacei cã-  
 - tu admonitus de verbo Domini, conuersus fuerit ad  
 - lachrymas, & sicut scriptum est, exierit foras, & fleue-  
 - rit amare. Cum vero subuersus est pontifex & suo iu-  
 - dicio damnatus, id est, non est paratus parere, cum au-  
 - dierit, & respiscere cum didicerit, tanquam cum reo  
 - deinde agitur, quando iam non solum infra ecclesiam

est, sed maior, maiorisque auctoritatis, quam ille, est minimus fidelis. Ab omnibus enim, ut dixi, imo dicit Apostolus, conuincitur, ab omnibus iudicatur. vocatur itaque in iudicium, & facta vna, & altera denuntiatione ceu admonitione publica, sententia damnationis accepta, eiicitur, non quidem pontificatu, ex quo tunc ipse sponte cecidit, cum suo iudicio damnari cepit, id est conuerti nullo modo voluit, sed eiicitur ex ecclesia, & solio pontificali, quod per vim tenet occupatum, tanquam tyrannus. Falsum itaque est quod grauis quidam auctor his verbis affirmauit, Papam haereticum, incorrigibilem factum non esse ipso facto depositum, id est pontificatu priuatum. Ratio vero, cur ita sentiret, ad quam se ait nihil habere, quod respondeat, conuincique ea intellectum suum, illa est, posse haereticum esse sola haerese occulta, & tacita, quam Deus cernat solus, homo vero de ea iudicare non possit, quia non cadat sub sensum. Quod quidem concedimus. Quare huiusmodi haereticum non pro eo excommunicatum esse, de quo non possit ecclesia iudicare, ac multo minus iurisdictione priuatum. Verum quidem est, non esse excommunicatum, ac priuatum ab ecclesia, sed rursus verum est esse vtrumque, licet nobis non appareat, quia non fiat per ministerium hominum, excommunicatum inquam & pontificatu priuatum a Deo, qui ut super fidem vnus pontificis vicarii sui ecclesiam catholicam aedificauit, ita ea deficiente, ipse eum eiicit pontificatu. id quod ex Anacleti epistola ad episcopos Italiae colligi potest. Eiectionem (inquit) summorum sacerdotum, id est episcoporum (ita enim supra vocauerat episcopos) sibi Dominus referuauit. Ergo & primi episcopi, id est pontificis multo magis referuauit. Esto hoc neque crederemus, neque sciremus, nisi ecclesia denuntiaret, ac declararet. Sed transeamus iam ad aliam rationem, & quidem valde difficilem, ut isti

putant. Soli ne (aiunt) pontifici liceat impune in terris flagitiose viuere? Nullus ne erit, qui corrigere possit? Non concilium congregari, & haberi vel inuito pontifice ad hoc perficiendum? Respondebo ex epistola illa grauissima, & elegantissima Dionysii Areopagite ad Demophilum monachum, qui contra ecclesiasticum canonem, & ordinem, presbyterum pulsauerat, atque ex ecclesia contumeliose eiecerat, & idem ad sancta sanctorum accesserat, qua epistola nihil me legisse memini accommodatius ad respondendum hoc loco. Quare vertam non nulla epistolae huius loca, alia vero non tanquam interpres, sed tanquam auctor imitabor. Querit ergo Demophilus a Dionysio. Quid igitur ais? Non sunt impii, aut turpes sacerdotes corrigendi? Solis istis, qui in lege gloriantur, licet contempta lege Deum decorare? & quemadmodum Sacerdotes interpretes Dei sunt? Quemadmodum diuinas virtutes populo explicant, qui earum vim ignorant ipsi? Quomodo illuminabunt, qui ipsi in tenebris sunt? Quomodo spiritum sanctum impertient, qui ne esse quidem illum credunt habitu & veritate? Simillimae sunt quaestiones, quas isti de malis pontificibus ponere solent. Solis pontificibus liceat ouile Christianum vastare? Quemadmodum pastor, & quidem summus habeatur, qui lapsus est? Deinde vbi illud, Vbi cumque sunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum, si non potest concilium bonorum virorum corruptos mores pontificis emendare, aut negligentiae pastoris obistere? Videamus ergo quid ad Demophili quaestiones Dionysius responderit, ut similiter istis responsum esse videatur. Ego vero (inquit) respondebo tibi ad haec. Neque enim inimicus meus est Demophilus, neque patiar, ut te Satanas circumuentum teneat. Et enim ut quisque ordo eorum, qui ad Deum pertinent, propius ad Deum ipsum accedit, eo est diuinius, &

„ quo est vicinior vero lumini, eo est splendidior, maio  
 „ remque habet illuminandi vim. Est autem accipienda  
 „ hic vicinitas non loci, sed idoneitatis ad capiendam,  
 „ participandamque diuinitatem. Si igitur Sacerdotalis  
 „ ordo vim habet, & munus illuminandi, profecto qui  
 „ non est idoneus ad illuminandū, vel potius qui est ipse  
 „ expers luminis, iam lapsus est ex ordine sacerdotali  
 „ ac potestate. quid autem sit cadere ex ordine sacerdo-  
 „ tali, cum tamen sacerdos esse non desinat, declarat,  
 „ quod sequitur, audaxque mihi videtur, & temerarius,  
 „ si, qui eiusmodi est, sacra operetur, qui quidem neque  
 „ timeat, neque vereatur diuinis rebus operam dare, nō  
 „ quidem (vt dixi) quia sacerdos esse desinat, sed quia in-  
 „ dignus sit, qui sacerdotio fungatur, amittatque non  
 „ sacerdotium, sed suam ex sacerdotio dignitatem, non  
 „ potestatem, se ad potestatis legitimam administrationē.  
 „ Deinde sequitur. Qui existimet latere Deum, quorum  
 „ ipse sibi conscius sit, posseque se Deum fallere, quem  
 „ falso patrem appellat, quique audet, imprecationes  
 „ dicam potius, quam preces in mysteris adhibere,  
 „ non (inquam) est hic sacerdos, sed maleuolus, fraudu-  
 „ lentus, & illusor sui, lupusque villis ouium aduersus  
 „ populum tectus. Age, concedamus istis similia in malo  
 „ pontifice, sed quid sequitur? Verum non est (inquit)  
 „ fas Demophilo, corrigere hæc. Etenim si iubet sacra  
 „ scriptura, iuste, quod iustum est, exequi. Hoc autem  
 „ fit, quoties suum cuique pro dignitate tribuitur, tri-  
 „ buendum profecto est hoc omnibus, vt cuiusque eo-  
 „ rum ordinis, & dignitatis ratio poscit. Siquidem &  
 „ Angelis tribui debet pro dignitate eorum non a nobis  
 „ Demophile, sed per eos nobis a Deo, ipsis vero Ange-  
 „ lis inter se per alios excellentiores. Denique, vt sum-  
 „ matim dicā, in omni genere per prima secundis, quod  
 „ cuique conuenit, diuina distribuit prouidentia omnis  
 „ ordinis, ac iustitiæ parens. Igitur quos Deus aliis præ

„ esse voluit iis quidem, quibus præsumt, distribuant,  
 „ quæ conueniunt, Demophilus vero rationi, iræ, &  
 „ cupiditati tribuat, quod conueniens, debitumque est,  
 „ caueatque ne ordinem suum perturbet, quin ratio  
 „ semper principatum obtineat. Et paulo post, tu ergo  
 „ Demophile cupiditati, iræ, rationi, quæ conueniunt,  
 „ concede, tibi diaconi, his sacerdotes, sacerdotibus epi-  
 „ scopi, his vero Apostoli, & apostolorum successores,  
 „ in quibus, si quis ab officio suo recedat, corrigatur  
 „ a sui ordinis sanctis. Ita fiet, vt non ordo in ordi-  
 „ nem commutetur, sed potius quisque in ordine suo,  
 „ & munere consistat, atque permaneat. Conceda-  
 „ mus ergo nos similiter non pastorem, sed lupum esse  
 „ malum pontificem, fateamur pascere seipsum, non  
 „ gregem, lateribus, & humeris oppugnet, & cornibus  
 „ ventilet pecora infirma, donec dispargantur foras, &  
 „ quæcūque Ezechiel de malis pastoribus dixit. Verum,  
 „ amice, non est fas ouibus corrigere hoc malum. Nihil  
 „ pulchrius, neque ad bene, beateque viuendum magis  
 „ necessarium, quam praua corrigere, vitiosa emenda-  
 „ re, studium virtutis, ac religionis restituere, denique  
 „ facere, sicut scriptum est, vt in carne viuentes non se-  
 „ cundum carnem viuamus, sed secundum spiritum. Pul-  
 „ cherrima sunt hæc, & plena vitæ beatæ. Quis neget?  
 „ Horum enim finis vita æterna. At scriptum est. Quod  
 „ iustum est, iuste esse exequendū. Quid iustius (inquit)  
 „ quam dona, & sacrificia offerre pro peccatis, tamē scri-  
 „ ptum est, Impius immolans vitulum, sicut qui immo-  
 „ lat canem. Et Osias, quia id, quod officii sui non erat,  
 „ voluit, cum ausus est incensum super altare Thyamia-  
 „ matis adolere, lepra affectus est. Simile fuit sacrificium  
 „ Saulis in Galgalis. Quid iustius, quam legem constitue-  
 „ re ad populum regendum? Tamen quia id cum Moise  
 „ legislatore eius soror Maria commune habere voluit,  
 „ lepra quoque affecta est, ita enim interpretatur Dio-

nysius Arcopagita. Quod Moysi exprobrauit Maria, cum dixit, Nunquid Moysi locutus est Dominus & nō nobis? Quid item iustius, quam CHRIS TVM fateri Dei filium, tamen ea theologia, & confessio alioqui sanctissima interdicta fuit dæmonibus, quia non eis conueniebat, quibus quidem propositum erat ea confessione veritatis ad fallendum abuti. Simile est illud, quod spiritus malus purpurariæ confessus fuit, Hi (inquit) homines serui Dei sunt, cui idcirco Paulus præcepit, vt statim exiret, ne scilicet vsurpans, quod tibi nō conueniebat, per speciem piæ, & religiose confessionis falleret. Quid præter ea iustius, quam inuocare nomen IES V super eos, qui habent spiritus malos? Tamen quid filiis Sceuæ septem acciderit, notum est, quia scilicet iniuste id faciebant, id est, quia nō ex scriptura sancta exorcismos petebant. Sic enim magnus Arhanasius interpretatur scribens ad Marcellinum. Iustum quoque est prophetare, tamen qui hoc faciunt iniuste, audiunt a Domino per Hieremiam, Currebant, & non mittebam eos, non loquebar ad eos, & prophetabāt. Denique quid iustius, quam arcam, cum paruum abfuit, quin caderet, tenere, morte tamen affectus est OZAS, Quia id ausus est iniuste. Debit enim prohibere humeris vehendo, ne caderet. His enim vehenda erat arca secundum legem Dei, non autem in currum imponenda. Hæc sunt exempla, quæ Dionysius Demophilus commemorauit, qui ordinem ecclesiæ transierat, quibus nihil esse potest accommodatius ad respondendum iis, qui concilio postulant iniuste, id est, sine auctoritate pontificis res ecclesiasticas constitui, decreta fieri, & corrigi omnia, quod quidem iustissimū erat. Verum id iustum iuste est exequendum. Præstat ergo (inquit) ordo presbyterorum diaconis, & hi ab illis tanquam a maioribus accipiunt, episcoporum presbyteris, episcopis vero archiepiscoporum, & patriarcharum

charum ordo. Commutari autē ordines non possunt, sicuti idem Dionysius ait. Quare vt ordo presbyterorum non potest episcopos iudicare, sic neque episcoporum ordo, atque concilium nō potest archiepiscopos. Multo ergo minus principem archiepiscoporum, & patrem patrum pontificem Petri principis Apostolorum successorem. Quid igitur fiet, si nolit pontifex concilium conuocare, cuius iudicium omnis quidem status rerum perturbatus magnopere postulet? Silebunt omnes, quia Papa non faciat loquendi copiam? Certe deberet pontifex omnium ecclesiarum curam, atque sollicitudinem habere, & (sicut de Moise scriptum est) esse populo in iis, quæ ad Deum pertinent, eique ostendere præcepta, legem & cerimonias, viamque, qua ingredi debeant, & opus, quod facere, atque ita prophetare in medio ecclesiæ catholicæ, & apostolicæ, & quando id ipse facere non vellet, aut non posset, deberet, mea quidem sententia, ius, auctoritatemque tribuere concilio, missis suis legatis, vt (sicut Apostolus ait) si aliis reuelatum esset sedentibus, taceret primus, id est, daret locum aliis, dicereq. illud Moysi. Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Possunt enim omnes per singulos prophetare, ita vt omnes discāt, & omnes exhortentur. Quod si id pontifex concedere, ratumque habere noluerit, debent episcopi interim contenti esse attendere sibi, & vniuerso gregi, in quo eos posuit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, vt repurgent, quātum licet, & constituant diœceses suas conciliis prouincialibus, reseruata in Christo approbatione, ac retractatione pontifici, si ei videatur, quæ concilia, vt bis per annos singulos haberentur, primum ab Apostolis ipsis constitutum est, deinde ab Antiochena Synodo renouatum, postea a Niceno, ac post etiam a Calcedonensi, in Niceno autem secundo, eodemque septimo concilio



lio, vt ſemel tātum. Noſtra vero hac ætate, neſcio quo modo res tam ſalutaris omnino fieri deſita eſt. Cauſas vero maiores, quas apoſtoli iuſſu CHRISTI, vt Anaclerus ait, pontificis auctoritati reſeruari voluerunt, ipſi quoque, ſi canonici, atque eccleſiaſtici eſſe volūt, reſeruabunt, cauebuntque, ne ſi fines, quos patres poſuerunt, tranſeant, pro Synodo paraſynagogen, id eſt prauam coitionem faciant, & pro concilio ſchiſma, id eſt diuiſionem, fiantque eccleſiæ tentatio ad ſequendum Deum alienum inuitantes. Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis. Quod ſi iſti, qui inuito, & repugnante pontifice concilium habere volunt, & aliquando regni cœlorum claues de manu pontificis per vim rapere, ſi iſti inquam tam docti ſunt, & rerum vſu periti, tam probi, & reformationis ſtudio, atque zelo ardentibus, quales noſtrorum patrum memoria Conſtantiennes, atque Baſileenſes fuiſſe feruntur, ſi (inquam) hi prophetare poſſunt, id eſt oſtendere cuncto populo, ſicut ait ſcriptura præcepta, & legem Dei, ceremonias, & viam, qua ingredi debeant, & opus, quod facere, hæc dico, quæ iuſtiſſima ſunt, & ſanctiſſima, ſi tamen iuſte facere non poſſunt, id eſt, ſeruato eccleſiaſtico ordine, & pontificis auctoritate, ac iudicio, profecto debent ſibi imperare ſilentium. Spiritus enim prophetarum prophetis ſubiecti ſunt. Quod ſi noluerint, aut cæca opinione, & imprudenti zelo victi non potuerint, non iam prophetæ, ſed πνευμας φοροῦμενοι ſiue ἐπίληπτοι videbuntur. Sic enim apud Hieremiam, & Oſeam furioſi, & infani prophetę vocantur. Ita ne nullum mali huius remedium erit? Nulla huic morbo medicina? Hæc cæne Dei prouidentia? Non liceat tollere malos pontifices, & eligere bonos? Non ſit naufragium vitare, malo gubernatore eiecto? Huiusmodi adhuc ſunt iſtorum querelæ, ad murmuraciones, & calūniæ, qui neque vnde mali principes proficiſcātur, neque

quorū ſpectent, intelligunt, alioqui intelligerent, quid remedii eſſet adhibendum. Docet autem hæc Zacharias, qui prædicens pœnas de populo Iſrael ſumendas exturbatis regibus, & pontificibus legitimis, & bonis, inſiſtiſque calamitatibus ſub Antiocho ob Iudæorum ſcelera, quo tempore ex ſententia, & voluntate regum Macedonia contra legem diuinam tranſlatus eſt pontificatus ad alienos, emebaturque pecuniis populi adminiſtratio, & erant omnia perturbata, atque confuſa. Accipiam (inquit) mihi duas virgas, vnam vocau pulchritudinem, & ſecundam vocau funiculum, & paſcam oues. Perinde atque diceret (vt Theodorus Antiochenus in Commentariis minorum prophetarū interpretatur) duas, quas illis dedi poteſtates regni, atque Sacerdotii ad ornandum, dirigendum, moderandum, ac continendum populum pernecceſſarias. Poſtquam corrupte viuere cœperunt, auferam, & ſupplicio eos afficiam. Deinde ſequitur, & euellam tres paſtores me ſe vno, & ingraueſcet anima mea in ipſos, ſcilicet, cum minetur hic ſupplicium Dominus, ſupplicium autem non ſit malos paſtores tollere, relinquitur, vt minetur ſublaturum ſe bonos paſtores, non quidem certo numero. id eſt tres, ſed incerto, plures, inquam, iuxta conſuetudinem ſcripturæ. Perinde, atque diceret, deſinent eſſe aliquando (hoc enim ſignificat vno me ſe) me permittente, boni paſtores propter Iudæorum ſcelera. quod quidem idcirco attribuit, & aſſignat ſibi, cum ait, Auferam; quia ſit hoc, quod minaciter promittit Deus, genus quoddam ſupplicii, ſicut ait Apoſtolus, tradidit eos Deus in reprobum ſentium, non quidem, quod Deus ipſe eos tradat, ſed quod in parte ſupplicii ponat improbum eorum ſtudium, & voluntatem, quaſi eos, qui ſine vlla reſipiſcendi ratione, atque propoſito ſe ad ſcelera dant, a ſe quodam modo alienauerit, atque dereliquerit odio eos proſequens.

» Id enim significat illud, & ingrauescet anima mea in  
 » ipsos. Deinde subiungit causam odii, etenim animarum il-  
 » lorum rugiebant in me, & dixi, non pascam eos, quia  
 » inquit, in me instar ferarum concitati sunt, & com-  
 » moti. idcirco factum est, ut amotis bonis pastoribus,  
 » pascere eos destiterim, ita ut curam eorum, tanquam  
 » mearum ouium deposuisse videar. Deinde sequitur,  
 » Moriens moriatur, & deficiens deficiat, & reliqui de-  
 » uorent, unusquisque carnes proximi sui, Perinde, at-  
 » que diceret, Unusquisque de suo scelere supplicium su-  
 » mat, ipsi se inter se cōficientibus pugnis, contentioni  
 » bus, & insidiis. Tum deinceps, & accipiam (inquit) vir-  
 » gam meam pulchram, & proiciam eam, ut dissipem te-  
 » stamentum meum, quod pepigi cum omnibus populis  
 » terrarum, id est auferam probos, & legitimos pontifices,  
 » quo facto cessare faciam religionis studium, quo qui-  
 » dem alienigenarum omnes incensi, & commoti ad tem-  
 » plum meum venire solebant Hierosolymam velut ex  
 » pacto. Id enim amplius facere ob status rerum pertur-  
 » bationem, neque facere libebit, neque, si libeat, pote-  
 » rant. Rursus attribuit sibi Dominus, quod ex aliorum  
 » culpa prouenit, ut significaret, quæcunque huiusmodi  
 » mala fieri permetteret, signa esse iræ diuinæ. Idem  
 » quoque docet Esaias, scilicet propter peccata populi  
 » loco supplicii malos principes a Deo dari, ut scriptura  
 » loqui solet. Inter alia enim mala, & calamitates, quas  
 » populo Israëlítico prædicit, constituam (inquit) iuue-  
 » nes principes eorum, & illusores dominabuntur eis, et  
 » Elius apud Iob, Qui facit (inquit) regnare hominem  
 » hypocritam propter peccata populi. Et de Saule apud  
 » Oseam prophetam propter peccatum reiecti Samue-  
 » lis, Dedi, inquit dominus, tibi regem in ira mea. Clarif-  
 » sime vero omnium docent hoc exempla illa duo, quæ  
 » sanctus Anastasius Sinaites, Antiochenus patriarcha,  
 » qui sextæ Synodo interfuit, narrat, cum imperator

Phocas, statim ut imperium suscepit, plurimos opera  
 Bonosi carnificis occideret, monachum quendam mi-  
 ra sanctitate præditum, veluti exoptulasse cum Deo  
 pro magna sua erga eum fiducia, quærentemque ab  
 eo, cur talem imperatorem fecisset, missa per Angelum  
 voce responsum tulisse, quia peiorem alium non ha-  
 buisset. Quo responso plane declarauit Dominus ad-  
 instigendum supplicium populo factum esse propter  
 peccata eiusdem populi malum imperatorem. Alterum  
 exemplum, quod narrat est, fuisse in I hebaide scelera-  
 tissimam quandam ciuitatem, ibi popularem quendam  
 item scelestissimum factum esse repente monachum  
 falsa religionis specie, ac moribus minime mutatis, cō-  
 tigit autem, ut episcopus eius loci a vita recederet,  
 apparuisseque viro cuidam sancto angelum Domini,  
 qui iuberet ire, ac cum populo agere, ut aliquis eius lo-  
 ci, eligeretur episcopus, qui quidem electus, is scilicet  
 quem diximus, homo nequam, cum superbe de se senti-  
 re inciperet, astitisse Angelum Domini, qui quære-  
 ret, cur insolens factus esset, atque arrogans, non enim  
 factum esse eum episcopum, quia episcopatu dignus es-  
 set, sed quia ciuitas eo episcopo, id est pessimo digna  
 esset. Ex quo perspicitur potest, propter peccata populi  
 venire nos aliquando in potestatem huiusmodi tyran-  
 norum, & ne sic quidem respicere. Hæc Anastasius.  
 Cum igitur propter peccata populi, & non secundum  
 cor Domini, sicut Dauid dictum est, & quales apud  
 Hieremiam pastores promittit Dominus, si d secundum  
 corda nostra, libidineque nostras contingant aliquan-  
 do Dei permissu mali pastores, quis non intelligat  
 optimum remedium esse morum nostrorum emenda-  
 tionem? magisque esse nos a nobis accusandos, quam  
 malum pontificem? & cum supplicii genus sit a Deo in-  
 flictum malos habere propter peccata nostra pontifi-  
 ces, quid iniquius, quam nolle poenas dare, & velle in

peccatis hærere? quid insolentius, quam mutare velle auctoritate nostra genus supplicii, quod est modum Deo præscribere, & vitam nolle mutare? Aut quid hoc aliud est, quam murmurare, & dicere, Cur ita facis? Coniungendæ præterea sunt cum hac emendatione vitæ ac morum preces, quod est alterum remedium, & quidem optimum, sicut ait Beatus Iacobus, Multum valet oratio iusti *ἐν εὐθυμείῃ*, id est cum impletione mandatorum coniuncta, quod vertit interpret Latinus assidua. Vt enim fides sine operibus mortua est, sic oratio iniusti sine operibus frigidissima est, & parum valens. Quod quidem significasse mihi videtur Iacobus Apostolus, cum dixit, Oratio fidei saluabit infirmum. Et paulo post, Multum valet oratio iusti *ἐν εὐθυμείῃ* id est ostensa operibus, vt iam si vtrumque copuletur, perinde sit, atque si diceretur, Oratio fidei *ἐν εὐθυμείῃ δι' ἀγάπης*, id est oratio fidei, quæ per charitatem exercetur, & ostenditur, ac resistit quidem sæpissimè orationibus iustorum nimia eorum, pro quibus adhibentur preces, nequitia. Verum ne sic quidem desistendum est ab oratione, quamdiu non auditur Deus, qui dicat, sicut dixit Hieremiæ propter magnitudinè peccatorum populi, Tu autem noli orare pro populo, quia non exaudiam te in tempore clamoris eorum, Sed potius faciendum est, dum pontifex vinculis peccatorum constringitur, quod ecclesia olim faciebat, cū Petrus seruabatur in carcere, Oratio (inquit) fiebat sine intermissione ab ecclesia pro eo. Deinde sequitur quemadmodum liberatus fuerit Petrus ab Angelo, vt similiter sibi euenturum speret ecclesia, quoties pro suo pontifice similiter orauerit. Est aliud præterea remedium, obsecrare pontificem cum omni reuerentia, quod imprimis conuenit in episcopos, sicut ad Thimotheum scripsit Apostolus, Seniores (inquit) ne increpaueris, Sed obsecra vt patrem. De episcopis enim in-

terpretatus est Siluester pontifex. Est autem pontifex episcopus, & quidē primus, idemq. paterfamilias, imo pater patrum. Hæc si non proderunt, debent (vt arbitrator) episcopi, ac præsertim cardinales, quos ad sustinendum onus ex senioribus ecclesiæ pontifex deligere, & adiungere sibi solitus est, in peccatis publicis ei resistere in faciem, id est publice in conuentu, & congregatione multorum, exēplo Pauli, qui se narrat, cū Petrus in Antiochiam venisset, in faciem ei restitisse, id est, publice. Non enim sic accipiendum est, quod ait in faciem, vt plerique male acceperunt, quasi *ἰσοπέτοι ἢ ἰσοστάτοι*, id est paritatem, siue equalitatem præsententiæ significarit, aut minus fortasse reuerenter restitisse, quod quidem Paulo infra idem Apostolus magis declarauit. Ait enim, Dixi coram omnibus Cephæ, vt iam idem significant *κατὰ πρόσωπον*, & *ἔμπροσθεν πάντων* id est in faciem, & coram omnibus. Vnde relicta est ea sermonis cōsuetudo, qua hodie vulgo vtuntur, vt dicant in facie ecclesiæ, id est publice. Restitit ergo in faciem Petro, quia reprehensibilis esset, nempe apud homines, non apud Deum, qui neminem reprehendit sine peccato. Sic fuerunt iusti viri, & sancti olim in vetere lege absque peccato reprehensibiles, vt Elias sacrificas extra Hierusalem in monte Carmelo, Iesus Naue circumiens die sabbati septies muros Hierichuntinos, Dauid comedēs panes propositionis, Denique quicumque iustus siue necessitate propter infirmitatem carnis, siue œconomice propter aliquam vtilitatem spiritualem aliquid ex lege prætermitteret, non permanens in omnibus, quæ scripta erant, reprehensionem, imo maledictum incurrebat apud homines tantum. Similiter ergo intelligamus statim post legem reprehensibile fuisse, non quidem apud Deum, cum scilicet ratio œconomix postulabat, sed apud credentes, aliquid iustitiæ legis retinere, vt non

conuersari cum alienigenis, & circumcisione carnis  
 uti, ut Paulus in Timotheo usus est. si ergo Paulus in  
 faciem restitit Petro in eo, quod fiebat innocenter, &  
 absque peccato, quodque erat tantum apud homines re-  
 prehensibile, exemplum profecto reliquisse mihi videretur,  
 ut in eo, quod apud Deum, & homines vituperabile  
 est, & iniquum, omnino non taceant, ad quos hoc per-  
 tinet, quin publice resistant pontifici. Præstat enim  
 mori, quam officium hoc fraternæ reprehensionis, ac  
 repugnantiae deserere. Bonum est (inquit Apostolus)  
 mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis euacuet.  
 Et si hoc (ut magnus Basilius interpretatur) verum etiam in  
 iis est, quæ libere unicuique licet omitte-  
 re, quanto ergo magis in iis, de quibus præceptum est?  
 Cui officio si defuerint Cardinales, ad quos hoc imprimis  
 spectat, reddent rationem in die Domini, qui si  
 hominibus placuerint **CHRISTI** serui non erunt, sicuti  
 de se Apostolus testatus est, qui etiam dixit, Non  
 fuimus in sermone adulationis, sicut ipsi scitis, neque  
 in occasione auaritiæ. Et Esaias in adultores clamat,  
 in quorum numero est, qui tacendo dissimulat, quod  
 non debet, idque, ne displiceat, Qui beatos vos dicunt,  
 (inquit) ipsi vos decipiunt, & viam pedum vestrorum  
 dissipant. Qui autem dissipat vos, ipse iudicium portabit,  
 quicumque ille est. Et Dauid, Dominus dissipabit  
 ossa eorum, qui hominibus placent. Multa huiusmodi  
 scripta sunt aduersus eos, quos scriptura sancta *ἀνεργα  
 παρισκοις* appellat, id est hominibus placentes. Quod  
 si hæc remedia non profuerint, ita obediendum erit  
 pontifici, ut meminerimus semper, quod scriptum est,  
 magis esse Deo, quam hominibus obediendum. Et illud,  
 Filii, obedite patribus vestris in Domino, id est, cum  
 quod iubet, iustum est. sumus enim omnes Christiani  
 filii eius, & ipse paterfamilias in Domo Dei, quæ est  
 ecclesia, in quem præcipue & ante omnes conuenit  
 illa

illa parabola Domini in euangelio Lucae, si sciret pater  
 familias qua hora fur veniret, & cetera. Cum enim dubi-  
 taret Petrus, id, quod Dominus dixerat de certa  
 hora aduentus Domini, & quod vigilandum esset,  
 vtrum ad ipsos tantum apostolos, pertineret, an ad om-  
 nes potius, ita respondit Dominus, ut ex responso in-  
 telligere liceret, ad omnes quidem pertinere, sed præ-  
 cipue ad eos, quibus credita esset doctrina, & institu-  
 tio aliorum, & inter eos imprimis ad Petrum præposi-  
 tum vniuersæ familiæ. Hos enim appellauit dispensa-  
 tores, quales erant apostoli, Quis ergo (inquit) est fi-  
 delis dispensator, & prudens, quem constituit Domi-  
 nus super familiam eius, aut suam. Vtrumque enim  
 conuenit. Sic Salomon in Prouerbiis loquens de fide-  
 li dispensatore, Virum (inquit) fidelem quis inueniet. De  
 inde sequitur, Relinquet filios suos beatos. Sunt enim  
 ecclesiæ, siue familiæ, singulæ suorum episcoporum,  
 omnes autem vna Dei ecclesia, siue familia, quæ eadē  
 est vicarii eius. Qui quia non habeat alterum supra se,  
 qui eum punire possit præter Dominum, ideo ait, Si  
 dixerit, moram faciet Dominus meus venire, & cepe-  
 rit percutere seruos, & ancillas, sedere, & bibere, &  
 inebriari, veniet Dominus serui illius, qui moram fa-  
 cere videbatur, in die, qua non sperat, & hora, qua ne-  
 scit, & diuidet eum gladio, scilicet illo iudicii vtraque  
 parte acuto, quem vidit Ioannes exeuntem ex ore  
**CHRISTI**, de quo meminit etiam Apostolus in episto-  
 la ad Hebræos, & partem eius cum infidelibus ponet,  
 id est vlciscetur eum inter infideles. Partem enim ap-  
 pellare solet scriptura vltionem, ut cum ex aliis locis,  
 tum ex Prouerb. intelligi potest. Cum enim dixisset, Pr. 10  
 festinata pars, id est vltio in principio, ad extremum non  
 laudabitur, subiunxit. Ne dicas, Vlciscar inimicum.  
 Quemadmodum ergo, aut quo iure puniat familia eum,  
 qui supra ipsam familiam est, quem solum manet Dei  
 O

iudicium, atque supplicium, qui non facit moram, ut ille falso putat, & dicit, imo verius, quod in Apocalypsi Ioannis ait, Ecce cito venio. Quæ igitur impietas est, nõ expectare nos proximum Dei iudicium seuerissimum, sed velle potius ante tempus iudicare, imo alienum iudicium vsurpare? Ergo si seruus ille, quem constituit Dominus supra familiam suam, pontificem dico, tamen se ad modestiæ exemplum non solum seruũ, sed seruum seruorum Dei appellat, tamen percutere cœperit CHRISTI seruos, eosdemq. conseruos suos, id est iniuriis afficere, & scandalis eorum conscientias ferire, spoliare ecclesiam, & indulgere voluptatibus, qui neque orando, neque monedo, precando, arguendo publice reuocari possit, toleranter, ac patienter ferendus est, & expectandus, qui dixit per prophetam Abacum, Adhuc modicum, aliquantulumque, qui vterus est, veniet, & non tardabit. Iudicari enim non poterit, nisi ab eo. Conueniunt cum sententia huius parabolæ, quam Dominus Petro respõdit, quæ de hoc senserunt sanctissimi, & vetustissimi pontifices, cum alii, tum Anacletus, Fabianus, Eusebius, & Bonifacius martyr. Scripsit itaque Anacletus in epistola tertia ad omnes Episcopos, & Sacerdotes, Doctor (inquit) vel pastor ecclesiæ, si a fide exorbitauerit, erit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus, quia rectores ecclesiæ a Deo sunt iudicandi, scilicet per magistris, siue præpositos suos. Simile est, quod ait beatus Fabianus in epistola secunda de Sacerdotibus, tolerandos esse potius, quam exprobrandos, neque reprehendendos esse. Non quidem fraterne, Absit, Sed accusatorie. Ideo. n. subiunxit, neque accusandos esse, nisi a magistris suis. Quia eorum (inquit) causas sibi Dominus referuare, & suo iudicio iudicare voluit, scilicet per magistris, & præpositos eorum ecclesiasticos. Cum autem in ter

ris magistrum, siue præpositum non habeat pontifex, restat, ut non adeo per hominem iudicandus sit, sed a solo Deo. Idem sensit, & scripsit Eusebius. Sed clarissimi me omnium Bonifacius papa martyr. Si papa (inquit) suæ, & fraternæ salutis negligens deprehendatur, inutilis, & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, & innumerabiles populos cateruatim ducit ad gehennam, cum ipsis plagis multis vapulaturus in æternum. huius culpas istuc redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos iudicaturus, ipse à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Sed adhuc vigent isti, Ergo liceat oues lupo commissas esse? fatemur cunctum populum Christianum commissum esse pontifici in opus ministerii ad consummationem sanctorum, in ædificatione corporis CHRISTI, id est, commissum esse ad firmandum eum, & pascendum, attendendumque cæteris omnibus pastoribus, & vniuerso gregi agnorum, & ouium, ut simus perfecti, sicut pater cœlestis perfectus est, effecti templum sanctum in Domino, crescente per IESVM CHRISTVM ædificatione spiritali constructa in ipso angulari lapide IESV CHRISTO, & in ecclesiæ catholicæ pastore, & rectore. Hoc enim est ædificatam esse ecclesiam super Petrum, hoc opus ministerii eius, ita ut cum hec pontifex Petri successor non præstet, sit quidem ecclesia nihilominus super eum ædificata, id est ei commissa, ipse tamen ministerii sui opus non impleat in ædificatione corporis CHRISTI, quod est ecclesia. Aliud est enim dedisse quosdam apostolos, quosdam autem pastores, & doctores (sicut Apostolus ait) ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis CHRISTI, aliud vero ipsos præstare hoc. Illud Dei solum est, hoc non Dei solum, sed ipsorum quoque pastorum. Non potest mala voluntas hominis bonum Dei opus dissolueret. Neque enim quia

Iudas, cū loculos habebat, fur erat, idcirco desit esse electus Apostolus, aut Saul, quia contempsit verbum Domini, & contempsit eum Dominus, ne esset rex super Israel, sicut ait scriptura, idcirco desit esse Christus Domini, vt eum Dauid appellabat. Damnatum se sciat cum Hussitis hæreticis, quicumque sic pertinaciter senserit, scilicet neminem gerere vicem CHRISTI, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus. Hæc est enim peruersa illorum sententia, & hæc verba. Sed hic rursus alia aggrediuntur via. An (inquiunt) non liceat coire in concilio ad corrigendum pontificem, cum sit Domini sententia, Vbicunque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum? Sane ostendunt se non intelligere, quod tam inepte, importune, & aliene opponunt. Iusserat enim Dominus eum, qui ecclesiam non audiret, id est, qui denunciationem factam de suo scelere non curaret, ita vt quamuis publice tandem in facie ecclesie, & coram omnibus admonitus, nollet tamen satisfacere offenso, & eū eo consentire, ac conuenire, hunc (inquam) tanquam pacis hostem ex ecclesia pacis magistra, & conciliatrice iusserat eiicere pacifice, & sine scandalo, congregatis scilicet ecclesia, & spiritu eius, qui præesset, cum virtute Domini nostri IESU CHRISTI, ratum enim id fore apud Deum, quamlibet pauci essent, ex quibus constaret ecclesia, non enim numero censendam esse ecclesiam, sed connexionione capitis quamuis cum paucis membris. Id enim significat quod subiunxit, Vbicunque sunt duo, vel tres congregati in nomine meo. Quæ sententia, quam nihil ad id, quod isti volunt, pertineat, quis non videt? Deinde si non sit ecclesie connexio cum suo capite ministeriali, quemadmodum erit cum capite energiam tribuente ad augmentum corporis secundum mensuram vniuscuiusque partis, quod caput CHRISTVS est, cum scriptum sit.

» Qui vos spernit, me spernit? Quare qui ministrum, pontificem tollit, idem CHRISTVM Dominum tollit. Sequitur iam vt respondeamus, ad canonem Calcedonensis concilii, quod tanquam auctoritate præstaret, videtur sedi apostolicæ, id est, pontifici priuilegia tribuisse, imo cum ea æquare sedem Constantinopolitanam.

» Ita enim ait, & nos definimus, ac decernimus de priuilegiis sanctissimæ ecclesie Constantinopolitanæ nouæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ merito patres, quia imperium teneret, priuilegia tribuerunt. Eodem igitur proposito centū quinquaginta religiosissimi episcopi Imperatore Theodosio Constantinopoli congregati æqualia priuilegia Sanctissimæ sedi Constantinopolitanæ nouæ Romæ assignarunt, recte iudicantes eam urbem, quæ imperio, & senatu fuisset honorata, eisdemque priuilegiis fruere, quibus antiqua Roma, in rebus ecclesiasticis eque quoque atque illam magnificari secundo post Romam loco. Haftenus canon.

Sed repetam altius rem, vt huius canonis ratio, & auctoritas magis intelligatur. Cum secundus locus auctoritate primum Anacleti, quantum quidem literis proditum est, deinde Niceni concilii decretus, assignatusque esset Alexandria, Imperatores & Patriarchæ Constantinopolitani sæpe illam e loco suo pellere, & deturbare omni conatu, & fraude tentarunt. Sinebant itaque decretum esse in Constantinopolitano concilio, vt secundum locum ipsa ecclesia Constantinopolitana teneret, proferebantque eiusdem concilii canonem tertium a se fabricatum, & domi compositum, quem & si satis coarguit falsitatis ipse ille canon secundus concilii Constantinopolitani, quo est sancitum, vt sicuti in Niceno concilio constitutum, decretumque esset, ita honor dignitasque seruaretur Antiochiæ. Seruari autem non poterat, nisi Antiochia tertium locum teneret, qui ei post Romam, & Alexandriam assi-

gnatus est, quæ nunc in extremum locum reiicitur in hoc canone Synodi Calcedonensis, & si (inquam) falsitas huius canonis falsitatem coarguat secundus ille canon, tamen eundem tertium canonem falsum cum alii pontifices, tum maxime Damasus, & Leo magnus vehementer postea improbarunt, ille statim post concilium Constantinopolitanum facto decreto in Synodo Romana, quæ Romæ extat in bibliotheca Vaticana, hic literis missis tum ad Anatolium, tum ad Marcianum, quibus iniquam illam secundi loci, gradusque, occupationem accusat, quam non tunc primum cœpisse testatur Leo magnus, sed ante quinquaginta annos. Fere enim non plures fuerunt inter Constantinopolitanum, & Calcedonenſe concilium, in quo eundem ipsum fictum canonem clanculum renouarunt, vt in decima sexta actione Paschasius Leonis magni legatus Græcis obiecit, neque renouarunt modo, sed omni arrogancia cumularunt. Siquidem non tantum secundum locum post Romanum pontificem, vt in Constantinopolitano concilio fecerant, tribuerunt Græci, sed docentes illam præpositionem *μετὰ*, quæ est Latinis post, non *ὑποβιβασμὸς* vt Græci dicunt, sed *ἑξ ἡν ἑξ ἑσὶ ἰσότητι*, hoc est, dicam enim Latine, non inferiorem locum, sed ordinem, aut ordinis æqualitatem significare, Planius quidem, sed ambitiosius sanxerunt, vt Constantinopolitanæ, & Romanæ sedi paribus priuilegiis irrogatis, æque vtraque in rebus ecclesiasticis magnifieret secundo post Romam loco. Vigilius vero tempore quinti concilii nimix Græcorum cupiditati, & importunæ eorum ambitioni, ne quid fortasse peius accideret, tandem secundum locum concessisse videtur, ratumque fecisse tertium illum canonem Constantinopolitani concilii alioqui suppositum, & mentitum, vt tum ex Nouella 131. Iust. de eccle. tit. & priuileg. cōiecturam facere licet, tum ex epistola Leonis no-

ni sanctissimi pontificis ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum archiepiscopum Vuliariæ, recitabo totum de re hac locum, sed ecce iam inquit, non debet ingrata apparere filia, quia præ cæteris eam honorare dignata est mater sua, nam cum nullo diuino vel humano priuilegio honorabilior, seu clarior aliis ecclesiis Constantinopolitana existat ecclesia, & Antiochena, atque Alexandrina ob reuerentiam principis apostolorum inter alias retinent dignitatis iura, tamen pia mater, Romana scilicet ecclesia nolens dilectam filiam dote honorificentix ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot Synodis curauit decernere, vt salua principatum, & apostolicarum sedium dignitate Constantinopolitanus antistes honoraretur, sicut regix ciuitatis episcopus, quauis Iustinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisset astruere, vt post papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ præful ecclesiæ. & certe hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quod Romana ecclesia pro amore venerabilis Constantini se ipsam, quantum in eo fuit, honorantis, & exaltantis, ciuitatem ipsius hoc priuilegio honoris sola humana beneuolentia insigniuit iuxta prophetam dictum ad Heli, glorificantem me glorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles, aut si quod aliud retinet, aut putat se habere priuilegium, vos rebelles lumini, atque veritati, & signiferi vmbrae atque vanitatis proferte in mediū. haftenus Leo. Idem postea confirmauit octaua Synodus Constantinopolitana Canon. 21. Deinde synodus Lateranensis Innocentii tertii, postremo Florentina Synodus sub Eugenio. Ergo suppositum esse hunc canonem, de quo loqui cœpimus, præterquam quod factis constat ex iis, quæ diximus. Testatur hoc etiam Anastasius bibliothecæ Vaticanæ magister, & custos, qui Adriani secundi temporibus vixit.



Item in exemplis latinis vetustioribus non legitur, & in Græcis separatim infra signa episcoporum scriptū fuisse, memoriæ proditum est. Pater itaque, quod amplius additum est in hoc Calcedonensis concilii canone ad illum tertium canonem Constantinopolitani concilii, quē Vigilius postea (vt opinor) approbavit, id omne fictum esse, item illud falsum esse, quod est in eodem canone. 27. Calcedonensis concilii, merito patres priuilegia tribuisse sedi senioris Romæ, quia imperium teneret, Credo, intelligit patres Niceni concilii, Statim enim sequitur, eodem proposito centum quinquaginta episcopi, & quæ sequuntur. Totidem enim interfuerunt concilio Constantinopolitano post Nicenum secundo, ita vt Synodus Calcedonensis in hoc Canone. 27. de quo loquimur, meminerit primi, & secundi concilii. Videamus ergo quibus verbis patres Niceni concilii Romanæ sedi priuilegia tribuisse videantur. Antiqua (inquiunt) cōsuetudo seruetur per  
 » Aegyptum, Libyam, Pentapolim, ita vt Alexandri-  
 » nus episcopus horum omnium habeat potestatem,  
 » quia & vrbs Romæ episcopo parilis mos est. Quæ ver-  
 » ba male esse in hoc Calcedonensis concilii Canone ex-  
 » posita, mentitūque esse, ac confictum hunc canonem,  
 » testis est grauissimus, maximeque auctoritatis Nico-  
 » laus primus in epistola ad Michaëlem. Sic enim ait,  
 » Denique, si statuta Nycenæ Synodi diligenter inspi-  
 » ciantur, inuenietur profecto, quia Romanæ ecclesiæ  
 » nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed po-  
 » tius ex eius forma, quod Alexandrinę ecclesiæ tribue-  
 » ret, peculiariter sumpsit exemplum. Idemque paulo  
 » supra, Ista igitur priuilegia huic sanctæ ecclesiæ a  
 » CHRISTO donata, a Synodo non donata, sed iam so-  
 » lummodo celebrata, & venerata. Et multo ante Nico-  
 » laum Anacletus in epistola tertia, Hæc (inquit) sacro-  
 » sancta Romana, & apostolica ecclesia nō ab apostolis,  
 » sed

» sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obti-  
 » nuit, & eminentiam potestatis super vniuersas eccle-  
 » sias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est,  
 » &c. Ergo neque Calcedonensis Synodus, neque Cō-  
 » stantinopolitana, neque Nicena, neque vlla omnino  
 » alia pontifici, sedi que Romanæ priuilegia dedit, sed  
 » CHRISTVS. Neq. ex canone, vt isti dicere solent, sed  
 » ex diuina lege originem ducit Summi pontificatus su-  
 » pra omnes episcopos, & ecclesias episcoporum, atque  
 » adeo supra vnā catholicam ecclesiam supra eum fun-  
 » datam auctoritas, vt satis me docuisse puto, & possem  
 » pluribus verbis, præsertim si quæ ab aliis dicta sunt, re-  
 » petere vellem. Sed pergamus ad reliqua istorum argu-  
 » menta, respondeamusque ad illud de Capuensi concilio,  
 » quod citant ex epistola pontificis, siue Damasi, vt  
 » est in quibusdam exemplaribus, siue alterius, pro quo  
 » falso scriptum est Ambrosii nomen. Miror equidem  
 » quemadmodum ad rem hoc de Capuensi concilio per-  
 » tinere existimauerint, nisi hoc quoque volunt isti, vt  
 » non solum Synodi vniuersalis auctoritas supra ponti-  
 » ficem sit, sed etiam singularum Synodorum, quod ne-  
 » mo hætenus ne aduersariorum quidem dicere ausus  
 » est. Imo nō solum singularum Synodorum, sed etiam  
 » duorum hominum, aut trium, quos forte Synodus ele-  
 » gerit ad decernendum aliquid, vt in causa Bonosi epi-  
 » scopi, & accusatorum eius, ad quam diiudicandā dele-  
 » git Synodus Capuana Theophilum, Anysum, & epi-  
 » scopum Thessalonicensem. De quibus ipse pontifex  
 » scripsit, vicem eos Synodi recepisse, quos ad examinan-  
 » dum Synodus elegisset, quare non conuenire, vt pon-  
 » tifex de eo iudicaret, non quidem quia maiorem ille  
 » auctoritatem Synodo tributam vellet, id est, iis, quos  
 » Synodus iudices delegerat, sed quia nollet destruere,  
 » quod bene erat ædificatum, neque mutare, quod recte  
 » decretum. Idcirco ait. Vos enim. totius, vt scripsimus,  
 » P

Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit. Non dixit, ex Synodi auctoritate, sed quasi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit. Non itaque pontifex plus auctoritatis Synodo, quam sibi his verbis tribuit, ut aduersarii falso putarunt. Sequitur præterea respondere ad illud ex epistola Augustini ad Glorium, Eleusium, & Fœlicé Donatistas. Damnauerant 70. episcopi Africani Donatistæ Cæcilianum episcopum, & ordinatores eius absentes, atque indicta causa, qui cū semper iudicium transmarinum, id est Romanæ sedis declinassent, Romæ tandem causam agi voluerunt duplici consilio, vel potius fraude, ut Augustinus ait, scilicet, ut vel sic falsa criminatione uincerent, vel si id non possent, malos se iudices habuisse iactarent, quæ vox (inquit) maiorum litigatorum est, cum uicti sunt. Deinde sequitur, quasi non eis ad hoc dici posset, & quidem iustissime, Ecce putemus illos episcopos, qui Romæ iudicant, non bonos iudices fuisse (numerat autem in illis Melchiadem) restabat adhuc plenarium ecclesiæ uniuersalis iudicium. Quasi concedere videatur Augustinus a pontifice ad concilium uniuersale appellationem tanquam maiore auctoritate præditum, Scilicet concedit appellationem a pontifice cum paucis episcopis iudicii sociis ad eundem pontificem maiore iudicii maturitate, qualis est in plenario concilio, quod quidem August. declarauit. Subiunxit enim ubi etiam, id est, in quo concilio plenario, cum ipsis iudicibus causa posset agitari, cum Melchiade (inquam) & episcopis iudicii eius sociis. Deinde sequitur, ut si male iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur, ipso scilicet Melchiade approbante, & assentiente, imo præsentente, cuius auctoritate esset illud concilium congregatum. Dixerat enim proxime, Vbi cum ipsis iudicibus causa posset agitari. Nemo est, qui iam non videat, hoc Au-

gustinum voluisse, nullamque vim adhiberi huic explanationi. Id vero, quod aduersarii volunt, ne somniasse quidem illum. Iam quod Augustinus non semel ait, accepisse Petrum clauis in persona ecclesiæ, quasi uelle videatur, penes ecclesiā esse auctoritatem, ac potestatem clauium, non autē penes personam Petri, quod quidem falsum esse docet euangelium clarissime, cum ait, Tu es Petrus, &c. & tibi dabo clauis &c. Hoc (inquā) Augustini dictum, sic accipiendū esse dico, ut sit simile atque id, quod tradit Beatus Cyprianus, ecclesiam esse in episcopo, & episcopum in ecclesia, ita ut hac ratione, quam potestatem accipit episcopus, eandem accipiat ecclesia, quatenus scilicet ecclesia est quodammodo in episcopo. Etenim si fingamus, non esse ecclesiam, ne accipiet quidem episcopus eius clauis ad claudendum, aut aperiendum in ea. Quare cum clauis accipit, nomine ecclesiæ accipit id est, ut ecclesia accipiat usum ipsarum clauium, dum scilicet in ea aperitur, & clauditur regnum cœlorum. Sic itaque interpretor accepisse Petrum in persona ecclesiæ clauis, non autem ecclesiam accepisse potestatem supra Petrum. Quam sententiam miror, quemadmodum isti ex his Augustini verbis vel somniare quidem potuerint. qui ergo dixit Petrum in persona ecclesiæ clauis accepisse, idem dicere potuit, & quidem uerius, ecclesiam accepisse clauis in persona Petri, imo Optatus Afer Miliuitanus episcopus singulari doctrina, & sanctitate, ad quem idem Aug. scripsit de origine animæ, libro primo aduersus Parmenianum Donatistam solum Petrum ait clauis accepisse, solum scilicet speciali potestate, ita enim intelligendum est. Opponunt præterea fieri non posse, imo neque intelligi, ut pontifex, qui errare potest, supra ecclesiam sit, quæ non potest, imo quæ est columna, & firmamentum ueritatis, & qui esse potest omnibus criminibus obstrictus, & omni uitiorum la-

be pollutus, idem tamen iudicari non possit, neque putiri ab ecclesia neque rugam, neque maculam habente. Sed si per se hæc non possunt intelligere, quæ velut monstra mirantur, tametsi quæstio hæc eorum quæstionem non soluat, tamen ego rursus quæram ab eis, quemadmodum ipsi intelligere possunt, esse ecclesiam super hanc petram fundatam, si qui IESVM non soluit, qui depositum fidei, & ecclesiasticorum dogmatum custodit, qui fundamentum aliud non ponit, præterquam quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS, qui non euangelizat aliud, quam quod Apostolus euangelizavit, denique qui, sicut idem apostolus ait, fide stat, & petra existit fidei firmitate, is (inquam) quia scandalese viuat, vt isti loquuntur, idcirco iudicari, damnari, & pontificatu eiici potest ipsius ecclesiæ iudicio? Quemadmodum non potius, si ita sit, supra arenâ fundata fuerit ecclesia, si statim, vt venerint flumina schismatum, aut flauerint venti hæreseon, & in eum iudicio, & damnatione sua irruerint, ipse deturbetur propter scandala inuitus, ita vt petra quidem maneat, quia fide stat (hæc enim eripi ab inuito non possunt) petra in quâ maneat, sed non basis, ac fundamentum ecclesiæ, caput, sed non corporis, atque ita rursus aut ecclesia sit diuisa, neque iam vnus grex, & vnus pastor, aut sit vna sine origine vnitatis; quæ profecto veriora monstra sunt, & horribiliora, quam illa superiora, quæ istis tâquam somniantibus apparebât, quæque mirantur, & prædicant se non posse intelligere. Verum dicam ego, quemadmodum mirari desinât, & intelligere possint, nempe si cogitauerint mysterium hoc magnum esse in ecclesia catholica, mysterium (inquam) ac proinde non apparens, quare opus esse fide ad intelligendû illud, sicut scriptum est, Nisi credideritis, non intelligetis. fide enim ea, quæ non apparent, ostenduntur, sicut Apostolus docuit, vt passio

in impassibili, mors in immortalis, vita in mortuo, & mors in vita, defatigatio in omnipotenti, & alia huiusmodi mysteria in CHRISTO. In ecclesia vero catholica similiter mysterium est, errare non posse, tamen fundamentum eius eum esse, qui possit, item castissimam esse, tamen petram, ac firmamentum eius posse pollutum esse. Perinde atque diceretur, firmitas in infirmitate, innocentia in crimine, integritas in corrupto. Mysteria fidei hæc sunt, quæ absque fide intelligi non possunt, Neque vero hoc dico, quod fides mysteriorum ratione careat. Neque enim est fides nostra *λογος*, id est, ratione carens, vt hæretici calumniantur, imo rationibus, & piis doctrinis munienda est, ne per inanem fallaciam eripiat, & vt possimus eos, qui contradicunt, arguere, præsertim cum non credunt scripturis. Sed hoc dico, non esse faciendum, quod multi impie, & superbe faciunt, vt tantum sibi in scripturis credendum putent, quantum ratione sua consequi possunt, non esse (inquam) in carne, & sanguine nitendum, id est, in rationibus humanis, in proprio ingenio, in elementis mundi, & inani philosophia, ac in traditione hominum. quæ quidem vt non reuelarunt Petro CHRISTVM esse filium Dei viui, quod erat maximum in CHRISTO mysterium, ita neque nobis reuelarunt, ruere posse fundamentum, edificium vero non posse, posse caput, imo singula membra ægrotare, & interire, corpus vero non posse interire, fictili basi positam esse columnam marmoream cum base aurea, id est, ecclesiam columnam, & firmamentum veritatis puræ instar auri (sic enim Paulus interpretatus esse videtur mysterium illud in Canticis de sponsi tibiis instar columnarum ex marmore cum aureis basibus) denique robur inuictum ecclesiæ catholice, gloriose, coagmentatum esse cum humana pontificis fragilitate, quod est magnum in ecclesia, & pontifice sacramen-

tum, quod quidem (vt dixi) non rationes humanę nobis reuelarunt, sed IESV CHRISTI Euangelium. Sed age, videamus quale sit, quod isti aiunt, intelligere se non posse, ecclesiam, quę errare non potest, ædificatam esse super eum, qui potest. Videamus (inquā) quale hoc sit, & vtrum aliqua ratione, & via fieri possit, vt sicut ecclesia catholica errare non potest, ita etiam pontifex. Certe pontifex si mature, & canonice, hoc est, cum cōcilio ecclesię aliquid graue, ac necessarium ad Christiane viuendum decernat, errabit nunquam. imo dicet verissime, Visum est spiritui sancto, & nobis sicuti promisit Dominus apostolis, non erraturos, & inter eos principi Apostolorum Petro, ac per eos successoribus eorum, quorum princeps est pontifex, Para-

„ cletus (inquit) spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, quod quidem cōsubstantialitatem significat, ita vt vbi spiritus sit, & filius Dei sit, qui Deus est, & spiritus (hoc enim significat illud, in nomine meo) ille ergo vos docebit omnia. Ne vero existimaretur alia esse doctrina, quam spiritus sanctus nunc docet ecclesiam, ab ea, quam CHRISTVS tunc docuit apostolos, ideo sequitur, Et suggeret, siue commemorabit vobis omnia, quęcunq. dixi vobis. Nō itaq. nos pōtificem ab ecclesia separamus, neq. ecclesiā a pontifice, cū sit potius (sicut beatus Cyprianus ait) pōtifex in ecclesia, & ecclesia in pōtifice. Vnde Magnus Basilius scribens ad Occidētales, id est ad primū episcopū, pontificē inquā cum ecclesia, id est cum reliquis episcopis occidentalibus per Sabinum diaconum, certe inquit dignum est excellētissima illa beatitudine, (significat autē quod dictū est Petro, beatus es Simon, &c.) charisma vestrę religioni concessum falsum quidem a vero discernendi, fidem vero patrum intrepide, & integre prædicandi. Ergo qui dicit, ecclesiam catholicam errare non posse, illud quoque dicit, pontificem errare

non posse, scilicet ecclesiastice decernentem aliquid necessarium multis, aut expediens, & ædificans, denique quod sit dignum Petri cathedra. Sicuti principes sacerdotum & pharisęi sedentes super cathedram Moisis errare non poterant in iis, quę docebant. Alioqui non dixisset Dominus, Super cathedram Moisi sederūt principes, & pharisęi, quęcunque dixerint vobis facite. Hoc est, quęcunque iudicauerint iuste, quęque digna erunt cathedra Moisis, tenete. Hoc enim est sedere super cathedram Moisis. Quę autem non essent digna cathedra Moisis, cuiusmodi erant doctrinę hominum, & traditiones, quas tradebant ad soluenda mandata Dei, de quo eos supra accusauerat Dominus, hæc (inquam) non sedentes super cathedram Moisis, qui sibi iussu Dei 70. Seniores, quos ipse nouerat magistros, ac duces esse, ad sustinēdum onus delegerat, sed super avaritiam, arrogantiam, & hypocrisim suam sedentes iudicabant. Similiter dicatur in pontifice, tenēda esse, quęcūque dicat sedens super cathedram apostolicam, id est, quęcunque fuerint digna cathedra apostolica. Qualia sunt, quęcunque cum collegio seniorum sacerdotum, ac magistrorum cōcilio, mature, canonice, & ecclesiastice alios docet, vnctiōe scilicet eum docente, ita vt quamuis theologiam pōtifex nesciat, cum fide stat, & ecclesiastico concilio canonicam tribuit auctoritatem, ex merito pontificali, & spiritus charisma te prouenit, vt ad multorum, quibus pontifex præest, vtilitatem in medio ecclesię catholicę prophetetur, hoc est, obscura aperiantur, & ardua recte diiudicentur. Vt enim ænigmata somniorū sine prophetię spiritu explicari non possunt, vt Ioseph, & Daniel fecerūt, Sic neque quę obscura, & tecta sunt in scripturis sanctis, vt præclare Magnus Basilius in Esaię Commentariis scripsit, Magna enim est vt idem ait horum inter se affinitas. Huius vero rei exemplum, quāuis tenue,

& velut in umbra, cernere licet in Caipha, qui collecto (sicut scriptum est in Euangelio) pontificum, & pharisæorum concilio, & consultantibus, quid agendum esset de CHRISTO, vnus ex ipsis (inquit) Caiphas, cū esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit, quod IESVS moriturus erat, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, Hebræos scilicet, qui erant dispersi, congregaret in vnum, quæ quidē in lege, & prophetis licet tectē, & obscure continerentur, vt quidem si locus esset, possem copiose ostendere. Bene itaque Philippus cognomento presbyter Hieronymi discipulus in Commentariis Iob, Caipham ait merito pōtificiali afflatum spiritu sancto prophetaſſe, & si illud mihi non probatur (vt hoc obiter annotem) quod hic auctor in eo loco ait, non intellexisse Caipham, quæ diceret, cum prophetauit, Quod ad heresim Montani de prophetis amentibus proxime accedit. Quomodo enim spiritu prophetiæ, qui est spiritus sapientiæ, præditus sit, qui nesciat, quod prophetat? Item Basilius in proœmio Commentariorum Esaiæ de eodem Caipha inquit, Quamuis in eo non esset puritas animi, & splendor mētis Deum videntis, qui esse solet in sanctis prophetis, tamen prophetaſſe œconomice, fuisseque eius prophetiā *ὄν πρὸς τὴν ἀξίαν, ἀλλὰ πρὸς τὸν καιρὸν*, id est non pro ratione, & merito personæ, sed pro ratione temporis ad vtilitatem eorum, qui ei tunc parebant. Ita enim interpretatus est, quod euangelista dixit. Cum esset pontifex anni illius prophetauit, &c. Quemadmodum ergo non similiter tribuamus, imo magis pontifici nostro super cathedram apostolicam sedenti cum cōcilio episcoporum, ac doctorum ad vtilitatem eorū, quibus præest, sicut

sicut ait Apostolus, Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, Tribuamus (inquam) prophetare, non dico futura prædicere, quod iam non est hoc tempore necesse, sed obscura explanare, controuersa diffinire & verum a falso discernere, denique si quid difficile, & ambiguum fuerit, diiudicare mature, canonicē, ordinate (sicut Apostolus ait) duo, aut tres prophetę dicant, cæteri diiudicent, quod in ecclesia fieri precipit, cū de charismatibus ordine, & sine æmulatione ad ædificationem in ea vtendis agit. Ergo pontifex non quidem pro ratione, & merito personæ, sed pro merito pontificali ad vtilitatem eorum, quibus præest, non potest errare, idque cum canonicē, & ecclesiasticē iudicat. Tunc enim prophetat. Secus autem facere nō est prophettare, sed Deum tentare, atque ita nunquam eum inuenire. Non enim inuenitur ab iis, qui tentant eum, vt in Salomonis sapientia scriptum est, Pontifex (inquam) cum ecclesia errare non potest, sicut neque ecclesia cum pontifice propter meritum pontificale ipsius iudicis œcumenici. Non enim ecclesia hoc charisma accepit, vt sedeat super cathedram, & iudicii veritatem iudicet, nisi assumpta a iudice primo ad maturam conquisitionem. Ecclesia itaque catholica errare non potest in iudiciis, quia vniuersalis, & tota esse non potest, si partem sui, & quidem principem partem, pontificem (inquam) tollat. Tollit autem, cum ei actum proprium non relinquit, vt oculos tollit, qui officium videndi non relinquit. Sumus enim omnes (vt Apostolus ait) corpus CHRISTI, & membra ex parte, id est aliud aliud membrum, suum quodque illorum actum habens. Vnde statim subiunxit, Quosdam posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, &c. Quomodo autem relinquit actum suum pontifici, & regi ecclesiæ, ac pastori summo, qui ecclesiam catholicam ei commissam, id est, oues supra

Q

pastorem ponit? Maturitatis vero, & ecclesiasticæ con-  
 quisionis in ambiguis, & difficilibus, ex qua nõ possit  
 error existere, exemplum, & regula est illud apostolo-  
 rum concilium, de quo scriptum est, Conuenerunt  
 » apostoli, & seniores videre de verbo hoc. Cum autem  
 » magna cõquisitio fieret, surgens Petrus, & cat. Et apo-  
 » stolus de charismatibus (vt dixi) in conuentu, & con-  
 » quisione ecclesiastica pacifice, & ordinate ad ædifica-  
 » tionem vt endis, Cum cõuenitis (inquit) vnusquisque  
 » vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocaly-  
 » psim habet, linguam habet, interpretationem habet.  
 » Omnia ad ædificationem fiant. Et paulo post, Prophe-  
 » tæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent.  
 Quod si alii reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.  
 Potestis enim omnes per singulos prophetare, vt om-  
 nes discant. Qui quidem ordo expressus mihi esse vi-  
 detur a Luca in historia illius Hierosolymitani conci-  
 lii, cuius paulo ante memini. Cum enim perorasset  
 » Petrus, tacuit omnis (inquit) multitudo, & audiebant  
 » Paulum, & Barnabam narrantes, quanta Deus fecif-  
 » set signa, & prodigia in gentibus per eos. Et postquam  
 tacuerunt, respondit Iacobus, dicens quæ sequuntur,  
 qui cum perorasset, tanquam iam cæteris diiudicanti-  
 » bus, Tunc (inquit) placuit apostolis, & senioribus cum  
 » omni ecclesia, & quæ sequuntur, & Paulus ipse quam  
 uis de euangelio suo, quod prædicabat, non dubitaret,  
 imo sentiret id ipsum, quod postea decretum est in con-  
 cilio Hierosolymitano, ad quod de cessatione lega-  
 lium referendum esse iudicauit, tamen ad aliorum vti-  
 litatem, & ædificationem, vt certi iam essent, non esse  
 in eo, quod prædicabat, errorem vllum, cognosce-  
 rentque omnes prædicationis suæ cum aliorum præ-  
 dicatione conuenientiam, quodque doceret ipse, quæ  
 cæteris apostolis cum omni ecclesia probarentur, Id  
 enim significat illud, Ne forte in vacuum currerem,

aut cucurrissem. Idcirco assumpto Barnaba, & Tito  
 adscēdit ab Antiochia, vbi diu prædicarat, Hierosoly-  
 mam, vbi erat Petrus cum cæteris apostolis. Tanta  
 vis est cõquisitionis ecclesiasticæ ad sanciedam verita-  
 tem. Est præterea huius conquisitionis ecclesiasticæ  
 » exemplum, & forma in Deut. Si enim (inquit) ambi-  
 » guum, & difficile iudicium esse videatur inter sangui-  
 » nem, & non sanguinem, lepram, & non lepram, cau-  
 » sam, & non causam, adscēdes ad principes Sacerdotum  
 » Leuitici generis, & ad iudicē, qui fuerit illo tempore,  
 » quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii verita-  
 tem. Scilicet, tanquam errare nõ possent. Ex quo loco,  
 si Euangelium conferamus, intelligi potest, quid sit su-  
 per cathedram Moisis sedere, nempe iudicium exerce-  
 re, siue iudicio præesse. Quod quidem declarat ipsum  
 nomen, ἀρχιεπίσκοπος, quos nos dicere solemus principes  
 sacerdotum, siue principes. Perinde atque diceretur.  
 Si super cathedram Moisis sederint principes, & pha-  
 rissæi, id est, si iudicium fecerint, quodcunque dixe-  
 rint, facite. Quod etiam ex Deut. sumptum est, vt sta-  
 tim videbimus, Sed cur quodcunque dixerint, nempe  
 quia iudicii veritatem iudicabunt. Quod quidem eue-  
 nit, quoties docent iuxta legem Dei, & non iuxta tra-  
 ditiones, & opiniones hominum. Ideo enim subiungit  
 » in Deut. facies quodcunque dixerint, & docuerint iu-  
 » xta legem Dei. Hæc enim erat doctrina, & hoc iudi-  
 cium dignum cathedra Moisis. Similiter dicatur in  
 cathedra Petri. Quia vero accidere poterat, vt huius-  
 modi iudices vitis abundarent, quæ tamen imitanda  
 non essent, neque ipsa rursus auctoritatem, & pondus  
 doctrinæ, ac iudiciis eorum detrahenda deberent, Idcir-  
 co subiungit, Neque declinabis ad dexteram, neque  
 ad sinistram. Quod quidem non præcipit iudicibus,  
 quos iam dixerat iudicaturos iudicii veritatem, sed ei,  
 qui adiret iudices, præcipit, vt faciat, quæcunque dixe-

rint iudices, non tamen eorum vitia imitetur, si contingat vitiosos esse. Hoc enim est, neque declinare ad dexteram, neque ad sinistram, id est, fugere nimium, & parum vitiorum extrema, quorum sunt mediæ virtutes, unde mediocritates dicuntur. Hoc idem Dominus absque vilo tropo, propriisque verbis præcepit in eodem euangelii de iudicibus loco, qui sumptus est totus ex Deut. Quæcumque (inquit) dixerint vobis facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Significare vero hoc loco Deut. dextram, & sinistram vitia, etiam intelligi potest ex Prouerb. Hortans enim Salomon ad virtutes, & dehortans a vitiis. Vias (inquit) tuas dirige, ne declines ad dexteram, neque ad sinistram. Averte autem pedem tuum a via mala. Denique vt hunc locum finia, Salomon de rege loquens, ei tribuit *ἑπτὰ πρόσληπτοι* (sic enim verterunt 70.) quos nos dicere possumus assumptos, scilicet ad consilia, iudicia, & gubernacula, quos comparat cum nube, siue pluuia vespertina, propter utilitatem, quam afferunt tum regi, tum populo instar pluuie vespertinae, quam terra super se venientem bibens (vt Apostolus ait) herbam oportuam illis, a quibus colitur, producit, & benedictionem accipit a Deo. Sic enim huiusmodi pluuie præsidio, & vsu, iudicium a rege provenit, & iustitia, velut pabulum conueniens ad pascendum populum. Quales autem debeant esse huiusmodi *πρόσληπτοι*, siue assumpti, magis adhuc declarat Salomon, subiungens, Viri sapientes meliores auro, & prudentes meliores argento, Perinde atque diceret, Præstat habere apud se huiusmodi sapientes, ac prudentes, quam abundare auro, & argento. Huiusmodi ergo assumptis, id est, collegio patrum, & concilio seniorum opus esse dico regi ecclesie, hoc est, pontifici ad pascendum sine errore iudicii, atque doctrinae ecclesiam catholicam. Vt (inquam) in his errare non possit, contingatque, quod promisit Do-

minus in euangelio, Ille vos docebit omnia. Quod quidem tametsi in singulos apostolos contulit ex privilegio apostolicæ gratiæ, tamen collegio eorum, id est, apostolis cæteris cum Petro eorum principe, qui ecclesiam vniuersalem representabant, imprimis promissit, quod quotidie præstat, & implet in concilio successorum cum pontifice, quod ecclesiam item catholicam representat. Ex quo intelligimus, quâto iudicio, studio, & testimonio assumi debeant a pontifice sapientes *πρόσληπτοι*. Quales sunt cardinales, qui sint instar pluuie ferotinae, vtilis tum pontifici, tum ecclesie, vt ipsi horum præsidio freti fructus honorum operum percipiamus ex rectis iudiciis doctrina, gubernatione, & honesta vita pontificis, non autem qui sint instar grandinis noxii, neque instar nebulae cæci, errantes, & in errorem mittentes, neque instar venti mobiles, quorum officium, & munus elegantissime descripsit Beatus Bernardus Lib. 4. de consideratione ad Eugenium.

» Scilicet mitti ad dandam pacem regibus, legem barbaris, quietem monasteriis, ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Item, vt si pontifex veller aliquatenus deuiare, non sineret, frænarent præcipitem, dormitantem suscitarent, quorum reuerentia, & libertas extol-

» lentem se reprimeret, excedentem corrigeret, quorum constantia, & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem, quorum fides, & sanctitas ad quæque sancta, ad quæque honesta, ad quæque pudica, ad quæque amabilia, & bonæ famæ prouocaret, &cet. Quanto præstantius, & excellentius fuerit, atque vtilius eum, cui cunctus orbis commissus est, huiusmodi sapientibus abundare, quam auro, & argento? Multitudo enim sapientum (vt Salomon ait) salus orbis terrarum. Quia enim in multitudine sapientum sapientia regis sita est, idcirco statim subiungit. Et rex sapiens



firmamentum populi est. Quod mirifice conuenit cum vocabulo petrae, & verbo firmandi, quibus Dominus est usus, cum Petro regnum ecclesiae promittebat. Sed transeamus iam ad aliud, quod etiam opponunt nobis aduersarii, profiteri nos in Symbolo, credere unam sanctam ecclesiam catholicam, & apostolicam, non autem pontificem. Profecto declarant, cum hoc opponunt, se ne intelligere quidem, quid hoc sibi velit, quod ita confitemur, alioqui intelligerent confirmari hac confessione nostram de auctoritate pontificis sententiam. Credimus ergo esse unam ecclesiam, non autem diuisam, quia neque Deus diuisus est, ut Arriani diuidunt, sed vnus, & ideo etiam fides vna, & vnus baptismus. Credimus (inquam) & confitemur esse nos unum corpus CHRISTI, & in vno spiritu sicut ait scriptura, & in vnus corpus baptizatos, id est, ideo vno baptismo baptizatos, ut ad vnus corpus CHRISTI, pertineamus, simulque vna ecclesia, quorum caput sit CHRISTVS, qui est caput sanctorum omnium. Credimus deinde esse nos, hoc est, Christianos, quae ecclesia Dei sumus, per baptismum ablutos, sanctificatos, & iustificatos in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, quod est credere sanctam ecclesiam, id est sanctificatam, & mundatam lauacro aquae in verbo, ut exhiberet nos, gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Idcirco in Symbolo Constantinopolitano post fidem de vna sancta ecclesia catholica, & apostolica, sequitur, Confiteor vnum baptismum. Pro quo dicimus in Symbolo apostolorum, communionem sanctorum, quae quidem communio sanctorum ad unitatem vnus corporis, in quod baptizamur pertinet, quam unitatem tollebant schismatici Donatistae, cum aiebant apud se tantum esse ecclesiam nolentes communicare memoriis sanctorum, sicut apostolus praecipit, quorum communionem sacerdos nomine suo, & totius populi con-

fitetur in Actione, cum ait, communicantes, & memoriam venerantes, & deinde sequuntur nomina sanctorum. Credimus praeterea (ut ad rem propius accedam) ecclesiam esse catholicam, & apostolicam, id est, totam, integram, ac perfectam, & per vniuersum orbem diffusam, sicut scriptum est, Eritis mihi testes a Hierusalem in tota Iudaea, & Samaria usque ad vltimum terrae. Et in lib. Psalmorum. In omnem terram exiit sonus eorum. Et Dominus in Euangelio Lucae. Quonia sic (inquit) scriptum est, & sic oportebat CHRISTVM pati, & resurgere a mortuis tertia die, & praedicari in nomine eius poenitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Et apud Mattheum, Euntes (inquit) docete omnes gentes. Plena est scriptura sancta huiusmodi testimoniis. Credimus etiam apostolicam, id est aedificatam cum super apostolorum fundamentum, sicut Apostolus ait, scilicet propter praedicationem, & doctrinam eorum, tum super fundamentum Petri principis apostolorum, propter potestatem, & principatum pontificalem, qui est firmamentum ecclesiae aedificationis, & regiminis, Ergo qui ecclesiam catholicam credit, & confitetur, idem pontificem confitetur, & credit. Est enim vniuersale quoddam totum. Tota autem quemadmodum erit, si partem detrahas, & quidem principem, id est caput? Detrahit autem (ut supra dixi) quisquis ei membro proprium actum non relinquit. Iam illud Zozimi papae contra statuta patrum ne huius quidem sedis valet auctoritas. Et illud Gregorii de .4. conciliis, quae vniuersali (inquit) consensu statuta sunt, Se, non illa destruit, quisquis praesumat absoluere, quos ligant, aut ligare, quos absoluunt, Aliaque similes sententiae non declarant auctoritatem ecclesiae supra pontificem, sed potius vim habent similem illius Pauli sententiae, Si (inquit) quae destruxi, iterum aedifico, prauaricatore me constituo. Decreue-

rant apostoli, ne gentes legem seruari, quæ erat quædam ædificii vitæ veteris demolitio, ædificandaque esse gentes iacto fundamento non legis, sed CHRIS-  
TI, & euangelii eius. Si ergo (inquit) quæ destruxi veteris legis, iterum ædifico, & ædificium descriptum, ac designatum, & iam cœptum nouæ legis rursus destruo, profecto legem nõ seruo. Similiter in pontifice dicere licet. Si canones, ac sanctiones ad ædificationem ecclesiæ vtilis, non seruat, quæ quidem & ipse approbavit, & se seruaturum promisit, destruit profecto quod ædificatum est. Quod quidem quia vitiose facit (non enim accepit a Domino potestatem in destructionem, sed in ædificationem, vt de se apostolus dixit, quod etiam conuenit pontifici) idcirco non posse dicitur. Quare valeat sententia illa audax, & temeraria, assertionis, & libidinis plena, Papam omnia posse. Tenemus modestius, ac verius nos, posse quidem omnia quæ recte illi videantur, quæ autem non recte, non posse. Vnde in Synodis sanctis, cum quid eius potestati integrum seruatur, dici solet, quod episcopus Romanus probauerit recte habere, & quodcumque eius prudentissimo consilio recte videbitur. Aliaque huiusmodi. Etenim si posset iusta, sanctaque decreta pro arbitrio tollere, facile videretur, vti leuitate, & quæ cogitat (vt Apostolus ait) secundum carnem cogitare, esseque in eo est, & nõ. Quod quidem non accidat, si œconomice, & necessitate, ac ratione postulante aliquando remittat, siue relaxet, vel soluat lege, exemplo Petri, cum œconomice decretum Hierosolymis factum, & a se comprobatum non seruabat, neque tamen in eo peccabat. Quare boni pontificis erit, videre mature, vtrum cum dispensat, ædificet, an destruat. Vtrum sit aliqua necessitas & vtilitas ecclesiæ, an non sit. Si enim sit, canonem ecclesiasticum transire liceat, vt grauissime, & satis copiose Ioannes pont. in literis Romanæ Synodi

Synodi maturitate ad Basilium, Leonem, & Alexandrum Imperatores pro Photio patriarcha Constantinopolitano absoluendo, & restituendo scriptis semper licuisse multis exemplis, & decretis, tum conciliorum Niceni, & Carthagi. tum veterum pontificum Gel. Leonis magni, felici, Innocen. & Grego. docuit. Hic vero postremo loco vrgent isti, Si fateamur, teneri pontificem seruare decreta, & canones, ergo subiectum esse eis. Quod si subiectum fateamur, ergo minorem. Hunc syllogismum dixit Cusanus dictatum esse a spiritu sancto, quo victus, ecclesiæ auctoritatem supra pontificem insipientissime defendit, qui non est veritus somnium suum, siueque ignorantie intemperiem spiritui sancto, qui est spiritus sapientie, tribuere. Docet. B. Basilium (ne sine auctore loquar) in regulis brevioribus, omnino necesse esse, esse subiectum hominem, quicumque ille sit, aut præceptis Dei, aut hominis propter præcepta Dei, id est, quoties præcepta hominis in præcepta Dei incidunt, aut ad illa adiuuant, hominis (inquam) cuiuscumque, sicut præcepit Apostolus, Subiecti estote inuicem in timore Dei. Et Dominus in euangelio, Si quis (inquit) vult in vobis magnus esse, sit omnium seruus, a suis scilicet voluntatibus alienatus, vt tanquam Dei voluntatem suscipiat, quicquid boni consilii, siue præcepti dederit frater, quicumque sit ille, sicut Moyses Ietro paruit, cum dixit ei, Non bonam rem facis. Sed audi verba mea; & consilia mea, & erit Dominus tecum. Nihil enim refert, siue consilium appelles propter modestiam, siue præceptum propter vim, quia male faciat, qui non pareat. Vt ergo minorem esse eum, qui præcipit, non hoc laedere debet obedientiam eius, cui præcipitur, ita neque eius præstantiam, & (vt loquuntur) superioritatem. Hactenus Basilii sententia. Quare trita illa regula, Par in parem non habet imperium, non est in iis accipienda, quæ sic in diuina præcepta inci

dunt, & sic ad illa facienda adiuuant, vt non non bonam rem faciat, qui non pareat, quicumque sit ille, qui illa suggerit, aut precipit, siue par, siue minor, sicut Apost. precipit esse omnes mutuo inter nos alios alii subiectos in timore Dei, scilicet quoties ad præcepta Dei seruanda expedit, sic subiectos esse in iis (inquam) omnibus, quæcunq. (vt dixi) aut in illa præcepta Dei incidunt, aut ad illa adiuuant. Iam, credo, perspicitur clarissime, quam vim habeat Syllogismus ille ab spiritu ignorantiae potius dictatus, Tenetur parere decretis ecclesiae, ergo est subiectus illi. Et rursus. Si subiectus, ergo minor ecclesia. Sed quid ecclesia minorem? Imo minorem olitore, simili arte, & ratione possunt concludere, si quando contingat, quod quidam ex poetis dixit, Sepe est olitor opportuna locutus, si (inquam) dicat is pontifici, cum valetudinis gratia in hortis suis deambulat, Audi verba mea, & fac hoc summe Dei Sacerdos, & Dominus erit tecum, profecto si hoc eorum numero esset, quæ diximus, incidere in præcepta, aut ad ea adiuuare, parere deberet pontifex, ergo fuerit illi subiectus, & rursus, ergo minor olitore. Hæc est dialectica Cusani. Nos vero & summum esse in terra pontificem confitemur, & canonibus conciliorum, ac regulis patrum ecclesiasticis, pontificumque decretis, imo omnium conciliis, ac dictis salutaribus subiectum esse debere in timore Dei, & eos pontifices, qui canones, ac decreta non seruarint, similes fore principibus illis, & pharisæis, quos Dominus in Euangelio accusans dixit, alligare eos onera grauiora, & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem suo nolite ea mouere, id est, faciebant, vt viderentur intolerabilia præcepta, dum ea ipsi ne incipiebant quidem facere. Id enim significat, non mouere illa digito. Similiter pontifices, cum canones ecclesiasticos non seruant nulla œconomiae, & spiritualis vtilitatis ratione, quos

placet, & libet, nulla necessitate, lege soluentes, faciunt, vt reliquis videantur intolerabiles, & omnia faciant cum murmuratione contra Apost. præceptum. Quamobrem obtestandus est pōtifex per illius magni pastoris, & episcopi animarum nostrarum sacramenta, & admirabilia iudicia, vt cum solitudine omnium ecclesiarum domui Dei præsit, filios ecclesiae habeat subiectos in timore, Dei exemplum, & forma gregis factus, vt seruet in Domino canones ecclesiasticos, & faciat eos ab omni ecclesia summo studio seruari, audiatque verba hæc, & consilia, vt Dominus sit cum eo, fiatque (sicut beatus Petrus ait) vt cum apparuerit princeps pastorum, immarecscibilem gloriæ coronam percipiat. Hæc sunt, lectissime Cardinalis, patrone optime, Salutate, quæ de auctoritate pontificis sacrosancta, & supra omnia concilia maxima, hoc tempore, cum de tanta, ac tali hominibus data potestate non pauci dubitabant, scribenda esse putavi ad ædificationem Dei in fide, & charitate per Christum, cum quo patri vna cum sancto Spiritu gloria & honor in sæcula sæculorum. Amen.

R ii